CLEMENTIS ALEXANDRINI THEOLOGIAE MORALIS CAPITUM SELECTORUM PARTICULAE.

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT

HERMANNUS REUTER,
PROFESSOR THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE LITERARIA VRATISLAVIENSI.

BEROLINI.
APUD WIEGANDT ET GRIEBEN.
MDCCCLIII.

VRATISLAVIAE, TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOC.

CLEMENTIS ALEXANDRINI
THEOLOGIAE MORALIS
CAPITUM SELECTORUM
PARTICULAE.

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT

HERMANNUS REUTER,

PROFESSOR THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE LITERARIA VRATISLAVIENSI.

BEROLINI.

APUD WIEGANDT ET GRIEBEN.

MDCCCLIII.

VRATISLAVIAE, TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOC.

Cap. 1.

DE SUMMO BONO QUAE FUERIT CLEMENTIS SENTENTIA EXPONITUR.

§ 1.

1. In rebus expetendis quis sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda, quum veteres philosophi fere omnes perscrutari conarentur, tum ii praecipue, qui post Socratem scholas instituerant, id agebant, ut boni ejus, quod ab illo tantummodo significatum erat, naturam accuratius definirent. Quae quidem quaestio quod eo tempore, quo civitatum Graecarum concordia dissolvi earumque singularum fundamenta labefactari coepta sunt, eximia cum diligentia commota sit, nobis de ejus rei causis meditantibus mirum esse non potest. Etenim quamdiu Graecorum summa salus ipsius reipublicae condicione florente erat contenta, tamdiu eam belli virtute exercenda et defendere et augere satis habebant neque anxii erant de eo, quod possidebant et retinere studebant, bono investigando et quaerendo. Contra quum jam in eo esset, ut ea salus deminueretur, neque ad rempublicam augendam et conservandam omnium studia referrentur, quum denique de libertate tuenda frustra dimicatum

esset: philosophi summum bonum, quod in rerum natura non inveniri videbatur, cogitatione cognoscendique ratione assequi studebant. De quo definiendo ab aliis aliae latae sunt sententiae. Attamen fere omnes de ea summa salute *cognoscendi* viribus intentis obtinenda consenserunt. Etenim quum in hac rerum humanarum caducarum vicissitudine et fluxu non jam existeret ultimum illud neque condita esset societas aut communio, in qua quis in ejus fruitione acquiesceret: nihil aliud reliquum fuit, nisi ut ostenderetur, quomodo ad illud summi boni θεωρίᾳ expetendi fastigium perveniri posset. At vero θεωρία imaginem quidem ejus rei describere et depingere potest, eam autem ipsam tantum abest, ut suppeditet, ut hominum ejus expetendae desideria magis excitet, quam expleat. Namque species illius summi boni ante oculos quidem obversatur et iis, qui cognoscere volunt, demonstratur perficienda, non autem perfecta; exprimenda in iis rebus, quae sub adspectum cadunt, sed non expressa. Quam θεωρίας rerum et humanarum repugnantiam quum veteres philosophi a se tolli non posse sentirent, et desperarent de ideis illis quasi coelestibus et divinis in mentibus infixis in hoc mundo informandis: exceptis Stoicis, (cf. Zeller, Die Philosophie der Griechen. III. 1. pag. 17.) qui virtutis scientiae semine procreandae usum requirebant, fere omnes summum illud bonum non solum *cognoscentibus* hominibus esse expetendum, sed ipsa cognitione contineri, ut docerent et τὴν θεωρίαν τῇ πράξει anteponerent, inducti sunt.

Ad quorum sententias *Clemens Alexandrinus* suam non accomodavit, sed potius iis opponere voluit, attamen ita vincere illas non potuit, ut non earum vestigia in ipsius doctrina eis opponendâ quasi occulta appareant. Summus enim ille theologus, eximio acumine praeditus, in veterum philosophorum libris vel maxime versatus et in iis, quae de summo bono accuratius describendo

institutae erant, quaestionibus initiatus nulla alia ratione nisi religione Christiana recte intelligenda eas dirimi posse docuit. De qua re probanda iis, qui Christianos se appellari volunt, nulla dubitatio existere potest. A Clemente autem summum illud bonum secundum eam intelligentiam Religionis Christianae, quam ipse perceperit, recte definitum sit, indagandum est.

2. Intricatam illam et difficilem quaestionem de finibus bonorum non uno quidem loco instituit, sed ea, qua uti solet, consuetudine et placitis veterum et recensitis et recensendis ita renovavit, ut, quid sentiat, multis locis magis significasse, quam satis accurate exposuisse dicendus sit. Attamen eo loco, qui ceteris amplior et distinctior mihi esse videtur, Stromat. II. c. XXII., § 131—134 § 136.[1]) Platonis[2]) doctrinae dijudicandae suam

1) § 134. *Καὶ τὰ μὲν ὧδε ἐχέτω, αἱ δὲ ἀντιῤῥήσεις αἱ πρὸς τὰς εἰρημένας δόξας κατὰ καιρὸν τεθήσονται, ἡμῖν δὲ αὐτοῖς εἰς τέλος ἀτελεύτητον ἀφικέσθαι πρόκειται πειθομένοις ταῖς ἐντολαῖς, τουτέστι τῷ θεῷ καὶ κατ' αὐτὰς βιώσασιν ἀντεπιλήπτως, καὶ ἐπιστημόνως διὰ τῆς τοῦ θείου θελήματος γνώσεως ἥ τε πρὸς τὸν ὀρθὸν λόγον ὡς οἷόν τε ἐξομοίωσις τέλος ἐστὶ καὶ εἰς τὴν τελείαν υἱοθεσίαν διὰ τοῦ υἱοῦ ἀποκατάστασις δοξάζουσα ἀεὶ τὸν πατέρα διὰ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως τοὺς ἀδελφοὺς καὶ συγκληρονόμους καταξιώσαντος ἡμᾶς εἰπεῖν καὶ ὁ μὲν ἀπόστολος συντόμως τὸ τέλος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ διαγράφων λέγει· „νυνὶ δὲ ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ θεῷ ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμὸν, τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον.“* § 136 extr. *„μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ ὑμεῖς οὖν μιμηταὶ Χριστοῦ γίνεσθε, Χριστὸς δὲ θεοῦ“ „τὴν ἐξομοίωσιν“ τοίνυν „τῷ θεῷ εἰς ὅσον οἷόν τε ἦν δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι“, σκοπὸν τῆς πίστεως ὑποτίθεται, τέλος δὲ τὴν ἐπὶ τῇ πίστει τῆς ἐπαγγελίας ἀποκατάστασιν.*

2) § 131. *αὐτὸς δὲ ὁ Πλάτων τὴν εὐδαιμονίαν τὸ εὖ τὸν δαίμονα ἔχειν, δαίμονα λέγεσθαι τὸ τῆς ψυχῆς ἡμῶν ἡγεμονικὸν, τὴν δὲ εὐδαιμο-*

ipsius inseruit. Manifestum; est, sagacissimi illius veterum philosophorum sententiam Clementi probari eam ob causam, quod summum bonum in vita beata collocaverit, beatam autem vitam, quam modo sibi ipsi consentaneam et convenientem, modo perfectam secundum virtutem appellaverit, in boni ipsius cognitione et ea similitudine sitam esse statuerit, qua quis ad Deum accedat. Quam Dei assimilationem in rebus expetendis ultimum esse Clemens tantum abest, ut neget, ut eam loquendi formulam premat et ejus intelligentiae rectitudinem definire studeat. Etenim secundum Platonem, ut ait Clemens, Dei similem fieri nihil aliud est, nisi justum et sanctum cum prudentia fieri idemque a numine divino mortalibus propositum fuisse ii patres ecclesiae concessisse videntur, qui inter *τὴν εἴκονα* et *τὴν ὁμοίωσιν* discernentes, illâ hominem natum ab initio ornatum, hâc autem ad summam ipsius perfectionem ornandum esse doceant. Sed quaeritur, qua ratione fieri possit, ut quis illam justitiam et vitae sanctimoniam, qua cum Deo quasi familiaritatem contrahat et affinitatis gradu eum attingat, sibi vindicet. Deo quis sese assimilare potest, qui Dei naturam non habeat perspectam? — Justo et sancte quis vivat, qui non ad Dei justitiam et sanctitatem cognitam suam ipsius referre et ad ejus normam accomodare possit? — Plato quidem summi numinis naturam verbis significavit, quum initium et medium et finem universorum continens, via recta procedens et res universas cirumiens id appellet, quod semper sequatur justitia, ultrix eorum, qui a lege

---

νίαν τὸ τελειότατον ἀγαθὸν καὶ πληρέστατον λέγει· ὅτε δὲ βίον ὁμολογούμενον καὶ σύμφωνον αὑτὴν ἀποκαλεῖ, καὶ ἔσθ' ὅτε τὸ κατ' ἀρετὴν τελειότατον, τοῦτο δὲ ἐν ἐπιστήμῃ τοῦ θεοῦ τίθεται καὶ ἐν ἐξομοιώσει τῇ πρὸς τὸν θεὸν, ὁμοίωσιν ἀποφαινόμενος δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως εἶναι.

divina aberraverint; quum ab eo, qui Deo se assimilando beatus esse cupiat, humilitatem et ornatum (§ 132 „ἧς ὁ μὲν εὐδαιμο-δαιμονήσειν μέλλων ἐχόμενος ξυνέπεται ταπεινὸς καὶ κεκοσμημένος) requirat; quum praeterea simile quid cui esse non posse, quod non moderatum sit, Dei igitur similem fieri neminem statuat, qui non sibi temperaverit. [3]) At vero eis singulis definitionibus Dei natura significando magis obumbrari, quam revelari videatur. Sed ea revelanda et perspicienda est, si summum illud bonum, quod uno cum Platone Clemens in illa ad Dei similitudinem accessione (et boni cognitione) situm esse censet, non solum expetendum esse, sed expeti posse ostendendum est. Revelatio illa Dei facta est per *λόγον* (incarnatum); ejus bonitas quodammodo expressa *in iis, quae bene effecit.* [4]) *Christiani* igitur secundum Clementem, quum summam salutem a Dei assimilatione repetendam esse judicent, in ea loquendi formula adhibenda cum Platone qui-

3) § 132. *εἶτα τούτοις τὰ ἀκόλουθα σύναψας καὶ τῷ φόβῳ νουθετήσας ἐπιφέρει* (ὁ *Πλάτων*)· „*τίς οὖν δὴ πρᾶξις φίλη καὶ ακόλουθος θεῷ; μία καὶ ἕνα λόγον ἔχουσα ἀρχαῖον, ὅτι τῷ μὲν ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ὄντι τῷ μετρίῳ φίλον ἂν εἴη, τὰ δὲ ἄμετρα οὔτε ἀλλήλοις οὔτε τοῖς ἐμμέτροις· τὸν οὖν τῷ θεῷ προςφιλῆ γενησόμενον εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα και αὐτὸν τοιοῦτον ἀναγκαῖον γενέσθαι.*

4) § 131. (ὁ *Πλάτων*) *τοῦτο* — (*εὐδαιμονίαν*) *ἐν ἐπιστήμῃ τοῦ αγαθοῦ τίθεται.* Stromat. VI. c. XII. § 104. *ἐνταῦθα ἡ ἐξομοίωσις ἡ πρὸς τὸν σωτῆρα θεὸν ἀνακύπτει τῷ γνωστικῷ εἰς ὅσον ἀνθρωπίνῃ θεμιτὸν φύσει γινομένῳ τελείῳ, ὡς ὁ πατήρ φησιν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· αυτός ἐστιν ὁ εἰπών· τεκνία ἔτε μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμί, ἐπεὶ καὶ ὁ θεὸς, οὐχ ᾗ φύσει ἀγαθός ἐστιν, ταύτῃ μένει μακάριος καὶ ἄφθαρτος οὔτε πράγματα ἔχων οὔτε ἄλλῳ παρέχων, ποιῶν δὲ ἰδίως ἀγαθὰ, θεὸς ὄντως καὶ πατὴρ ἀγαθὸς ὤν τε καὶ γενόμενος ἐν ἀδιαλείπτοις εὐποιίαις, ἐν ταυτότητι τῆς ἀγαθωσύνης ἀπαραβάτως μένει· τί γὰρ ὄφελος ἀγαθοῦ μὴ ἐνεργοῦντος μηδὲ ἀγαθύνοντος;*

dem conveniunt, sed in ratione ejus accuratius delineanda dissentiunt. Hominibus enim Christianis, [5]) ut *τέλος* illud, quod Platoni et ejus discipulis erat *ἀτελεύτητον*, attingant proponi potest, ob eam causam, quod non jam *πρὸς τὸν θεὸν ἄγνωστον*, sed *πρὸς τὸν ὀρθὸν λόγον ὡς οἷόν τε ἐξομοίωσις* in rebus expetendis ultimum esse dicatur. In qua verborum conformatione ambiguitas quaedam cum consilio electa inesse videatur. Etenim *τοῦ λόγου* vocabulum et ad *λόγον* hypostaticum refertur et rationem (recte ductam) significat, ita ut per Deum filium et Dei similes et rationales facti esse dicamur. Dei assimilatio et rationis rectitudo aritissime copulantur, neque tamen ita comparantur, ut Dei similem fieri et rationis vires excolere et perficere idem esse dicatur. Contra Clemens Alexandrinus eam Dei assimilationem a nullis aliis obtineri expressis verbis docet, nisi ab iis, qui, adjuvante gratia, [6]) per

---

5) § 134. *ἡμῖν δὲ αὐτοῖς εἰς τέλος ἀτελεύτητον ἀφικέσθαι πρόκειται πειθομένοις ταῖς ἐντολαῖς.* cf. Paedagog. I. c. IX. § 88. *ὥστε ἀγαθὸς μὲν ὁ θεὸς δι' ἑαυτόν, δίκαιος δὲ ἤδη δι' ἡμᾶς καὶ τοῦτο ὅτι ἀγαθός. — — πρὶν γὰρ κτίσιν γενέσθαι θεὸν ἦν, ἀγαθὸς ἦν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ δημιουργὸς εἶναι καὶ πατὴρ ἠθέλησεν, καὶ ἡ τῆς ἀγάπης ἐκείνης σχέσις δικαιοσύνης γέγονεν ἀρχὴ καὶ τὸν ἥλιον ἐπιλάμποντος τὸν αὐτοῦ καὶ τὺν υἱὸν καταπέμποντος τὸν αὐτοῦ καὶ πρῶτος ουτος τὴν ἐξ οὐρανοῦ ἀγαθὴν κατήγγειλε δικαιοσύνην· „οὐδεὶς ἔγνω τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατὴρ", λέγων, οὐδὲ τὸν πατέρα εἰ μὴ ὁ υἱὸς". αὕτη ἡ ἀντιταλαντεύουσα γνῶσις ἐπίσης δικαιοσύνης ἀρχαίας σύμβολον, ἔπειτα δὲ ἐπὶ τοὺς ἀνθρώπους καταβέβηκεν ἡ δικαιοσύνη καὶ γράμματι καὶ σώματι τῷ λόγῳ καὶ τῷ νόμῳ εἰς μετάνοιαν τὴν ἀνθρωπότητα βιαζομένη σωτήριον· ἀγαθὴ γὰρ ἦν.*

6) Enumerentur hoc loco sententiae Clementinae de gratia cum libero arbitrio cooperante in dogmatum historiis praetermissae. Stromat. V. c. I. § 7; V. c. XIII. § 84; VI. c. XI. § 72; V. c. XII. § 83; Paedagog. I. c. II. § 6; I. c. VI. § 30: I. c. VI. § 29.

Christum et rationales et *filiationis capaces* redditi sint. [7]) Dei similem et Dei filios fieri; *ἐξομοίωσις* illa et haec *τελεία υἱοθεσία*, a Filio unico restituenda (§ 134. *εἰς τὴν τελείαν υἱοθεσίαν διὰ τοῦ υἱοῦ ἀποκατάστασις δοξάζουσα ἀεὶ τὸν πατέρα διὰ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως, τοῦ ἀδελφοὺς καὶ συγκληρονόμους καταξιώσαντος ἡμᾶς εἰπεῖν*) idem valent. Itaque secundum Clementem homines ad Deum proprius accedere eademque accessione bonorum fines attingere nulla alia ratione possunt, nisi redemptione per Filium perfecta per fidem amplectenda: quo et justificantur et sanctificantur (§ 136: — *δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι* Plat.). Deus essentia sanctus est et justus. In hominibus igitur non aliter fieri potest, ut sanctitatis et justitiae, *ad Deum accessionis notarum*, vestigia imprimantur, nisi ipsius Dei sanctitate et manifestanda et efficacem se praebente. [8]) Quae efficacia mediata est per Filium. Itaque id quod postulat Plato, ut et justi et sancti fiant, qui Deo assimilari cupiant, Christianis fidelibus et concessum est et concedetur. Concessa atque suppeditata est eis, qui filii redditi sunt, liberati a peccatorum servitute, per Filium unicum, magnum sacerdotem (sanctificantem) *sanctificatio* suppeditabitur ita *ut spes*, quam fide percepimus, *omni ex parte* impleatur, ultima in integrum restutione *ἡ ζωὴ ἡ αἰώνιος* (l. l. § 134 ext. § 136 extr.), — quae Paedag. I. c. VI. § 29 jam anticipata et *τῇ πίστει* congruens esse dicitur. Utriusque autem et sanctificationis (et justitiae) et *τῆς αἰωνίου*

---

7) Paedag. I. c. XIII. § 102; *οὐ γάρ ἐστι λογικὸς ἔτι ὁ παρὰ λόγον ἁμαρτάνων, θηρίον δὲ δὴ ἄλογον, ἔκδοτον ἐπιθυμίαις, ᾧ ἐπικάθηνται ἡδοναί.*

8) cf. Annot. 4. 5.

ζωῆς nemo particeps fieri potest, cui non earum fontem aperuevit Jesus Christus atque ipsa vita degenda divinae sanctitatis et humanae sanctificationis ostenderit consensum. Neque enim Dei et hominis per se virtus *eadem* est, [9]) sed Christi et Dei et hominis, illius suapte natura filii intercessione ita *unita* est, ut qui Dei similes fieri in animo habent, iis ad Filii unigeniti, per quem in numerum filiorum eligantur, exemplum sanctum et *sanctificans* omnis vita referenda sit et conformanda. [10]) Ad Dei igitur similitudinem acceditur vitâ ad servatoris, qui et sanctitatis et justitiae divinae imaginem expressit *efficacem,* exempli normam acommodandâ fide regenitis. [11])

§ 2.

At vero iis, quae modo disseruimus, quid senserit Clemens de summo bono, non satis demonstratum est. Etenim quum, quae Platoni placuerat beatitudinem (*εὐδαιμονίαν*), rerum summam, contineri duabus rebus, Deo assimilatione et boni cognitione scriptor probaverit; eam autem, quam ille indagaverit, non inveniri,

---

9) Stromat. VI. c. XIV. § 114. *ἀσεβὴς — ἥδε ἡ ἔκδοσις τὴν αὐτὴν ἀρετὴν εἶναι ἀνθρώπου καὶ τοῦ παντοκράτερος θεοῦ προςδοκησάντων· „ὑπέλαβες“, φησὶν, „ἀνομίαν ὅτι ἔσομαί σοι ὅμοιος* (Psalm. I. 21.). *ἀλλ' „ἀρκετὸν γὰρ τῷ μαθητῇ γενέσθαι ὡς ὁ διδάσκαλος“* (Math. XXV. 10.) *λέγει ὁ διδάσκαλος· καθ' ὁμοίωσιν οὖν τοῦ θεοῦ ὁ εἰς υἱοθεσίαν καὶ φιλίαν τοῦ θεοῦ καταταγεὶς κατὰ τὴν συγκληρονομίαν τῶν Κυρίων καὶ θεῶν* (?) *γίνεται, ἐὰν καθὼς αὐτὸς ἐδίδαξεν ὁ Κύριος, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τελειωθῇ.* Strom. II. c. XXII. § 135. *ὅ τε Ἡσαΐας τὸν μὲν πιστεύσαντα εἰς σεμνότητα βίου, τὸν γνωστικὸν δὲ εἰς ἐπίστασιν παρακαλῶν μὴ τὴν αὐτὴν εἶναι ἀρετὴν ἀνθρώπου καὶ θεοῦ.*

10) Strom. VI. c. XIV. § 114.

11) Paedag. lib. I. cap. III. § 9.

nisi in religione Christiana ostendere consilium ceperit: de sanctitate et justitia, Dei *ἐξομοιώσεως* notis, oratione jam peracta reliquum est ut, quomodo cognitio a Platone desiderata per Filium tradita eaque una cum Dei cognitione communicata, ipsa denique *cognoscendi* ratio quanti momenti sit apud Clementem, fusius demonstretur. Namque Deo sancto neminem posse assimilari, nisi eum, qui ipsius sanctimoniae scientia percepta vitam vitae Jesu Christi [1]) conformem et consentaneam agat, a Clemente quidem expositum est: nihilo tamen minus hucusque scientiae actionem antepositam fuisse videri, non facile quisquam infitiabitur. Attamen ne quis *τὴν ἐξομοίωσιν* vita sancte degenda expletam et absolutam esse censeat, admonent plurimi loci, quibus Dei *cognitio* summis laudibus tollatur et tantis, ut ita dicam, honoribus afficiatur, ut nobis eos legentibus nulla dubitatio existere possit, num ea ipsa cognoscendi ratio pro *condicione* habenda sit, qua omissa ad illam *ἐξομοίωσιν* perveniri non possit, an ad *eam* ipsam pertineat.

Stromat. IV. c. VI. § 39 duae viae indicantur, quas qui ingressi sunt, perfectionem salutis adepturi esse dicuntur, unam operum, alteram cognitionis: ex quo loco iis, qui quae statim subsequuntur, non legunt, conjiciendum esse videtur, *τὴν εὐδαιμονίαν* sive summam beatitudinem et illa *ἐξομοιώσει* (operibus) *et* cognitione contineri; cognitionem igitur ab *ἐξομοιώσει* esse *diversam*, hujus finibus illam non comprehensam. Ex qua sententia si Clementis esse genuina, et vitam sanctimoniam et *θεωρίαν* (cognitionem) ejusdem dignitatis et gravitatis esse atque aequo pondere

1) Paedagog. I. lib. III. § 9. *καὶ γὰρ ὁ λόγος αὐτὸς ἐναργῶς σὰρξ γενόμενος τὴν αὐτὴν ἀρετὴν πρακτικὴν καὶ θεωρητικὴν ἐπιδεικνύς.*

aestimandas, continuo consequeretur. Neque negari potest ad eam opinionem confirmandam etiam alia judicia a Clementi facta valere videri, (Stromat. VIII. c. XVI. § 102) sed ne retineatur, prohibemur et illo loco integro accurate interpretando et legendis iis, quae plurimis locis de cognitionis sufficientia ad salutem humanam efficiendam disputavit. Loco modo laudato [2]) (Strom. IV. c. VI. § 39) opera bona *τῶν ἀγαθῶν μετέχοντα* appellantur, quibus opponuntur ea, quae per se ipsa sunt bona, qualis est cognitio, quae est animae purgamentum et efficacia ipsa bona. Strom. IV. c. VI. voluntas Dei ea esse praedicatur, ut cognoscatur Deus. Stromat. IV. c. XXII. § 138, qui locus est memoratu dignissimus, Dei cognitio et aeterna salus ita inter se comparantur, ut, si fieri possit, ut altera ab altera divellatur, optione data, cognitio eligenda, aeternae saluti adeo anteponenda esse dicatur. [3]) Quae quidem sententia, *qua ad doctrinam* Clementis recte *dijudicandam nulla gravior in ejus* libris reperitur, luculentissimum testimonium est, *τὴν ἐξομοίωσιν* illam *πρὸς τὸν θεὸν* aut vitae sanctimoniae terminis solis *non* esse comprehensam, sed maxime sitam in cognitione, aut non esse habendam pro summo bono sive beatitudine. Quaecunque enim de beatitudine et Dei assimi-

---

2) *Ἐπεὶ τῶν ἀπαγόντων εἰς τὴν τελείωσιν τῆς σωτηρίας ὁδοὶ εὑρίσκονται δύο ἔργα καὶ γνῶσις, „μακάριος" εἶπεν τοὺς καθαροὺς τὴν καρδίαν, ὅτι αὐτοὶ τὸν θεὸν ὄψονται· κἂν τῷ ὄντι τὸ ἀληθὲς σκοπῶμεν, ἡ γνῶσις τοῦ ἡγεμονικοῦ τῆς ψυχῆς κάθαρσις καὶ ἐνέργειά ἐστιν ἀγαθή. ἀγαθὰ γοῦν τὰ μὲν αὐτὰ καθ' ἑαυτά, τὰ δὲ μετέχοντα τῶν ἀγαθῶν ὡς τὰς καλὰς πράξεις φαμέν.*

3) cf. Strom. VI. c. XII. § 99. § 98. *τῶν ἀγαθῶν ἴσμεν τὰ μὲν αὐτὰ δι' αὐτὰ αἱρετά, ὡς τὴν γνῶσιν.* ib. VII. c. VII. § 47; IV. c. XXIII. § 154; IV. c. XXV. § 157.

latione et cognitione efficienda alias disseruntur, ea hoc et aliis locis [4]) de cognitione vitae beatae congruente *sola* praedicantur. Renovanda igitur est quaestio.

§ 3.

Religio Christiana, per *λόγον* incarnatum manifestata, absoluta veritas est: quae sincerâ, quae de Dei natura tradita est, catholicâ doctrinâ comprehenditur. [1]) Veritas autem non cognita hominibus non est veritas. Itaque Christus summum servatoris officium implevit eique satisfecit Dei natura ita manifestanda, ut cognosci possit a mortalibus. [2]) Deus verus paganis *ἄγνωστος*

4) Strom. VII. c. VII. § 47. *μέγιστον ἄρα ἡ γνῶσις τοῦ θεοῦ· διὸ καὶ ταύτῃ σώζεται τὸ ἀναπόβλητον τῆς αρετῆς· ὁ δὲ ἐγνωκὼς τὸν θεὸν ὅσιος καὶ εὐσεβής· μόνος ἄρα ὁ γνωστικὸς εὐσεβὴς ἡμῖν εἶναι δέδεικται.*

1) Stromat. c. 5. § 2; VI. c. XV. § 122. *Τῆς τοίνυν περὶ θεοῦ ζητήσεως εὕρεσις μὲν ἡ διὰ υἱοῦ διδασκαλία — —: τεκμήριον ἄρα τοῦ παρ' ʽμῖν εἶναι τὴν ἀλήθειαν τὸ αὐτὸν διδάξαι τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, εἰ γὰρ περὶ πᾶν ζήτημα καθολικὰ ταῦτα εὑρίσκεται πρόςωπόν τε καὶ πρᾶγμα, ἡ ὄντως ἀλήθεια παρ' ἡμῖν δείκνυται μόνοις, ἐπεὶ πρόςωπον τῆς δεικνυμένης ἀληθείας ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, τὸ πρᾶγμα δὲ ἡ δύναμις τῆς πίστεως ἡ καὶ παντὸς οὗ τινος οὖν ἐναντιουμένου καὶ αὐτοῦ ὅλου ἐνισταμένου τοῦ κόσμου πλεονάζουσα.* cf. V. c. XVI. § 135. — *ὡς δυνάμει μὲν ὁ Κύριος καὶ θεὸς πάντων ἂν εἴη καὶ τῷ ὄντι παντοκράτωρ, κατὰ δὲ τὴν γνῶσιν οὐ πάντων θεὸς, οὔτε γὰρ ὅ ἐστιν οὐθ' ὅπως κύριος καὶ πάτηρ καὶ ποιητὴς οὐδὲ ἄλλην ἴσασιν οἰκονομίαν τῆς ἀληθείας, μὴ οὐ πρὸς αὐτῆς διδαχθέντες.* Paedag. I. c. VII. § 57.

2) Strom. I. c. XXVIII. § 178. *Διὸ καὶ μόνη αὕτη ἐπὶ τὴν ἀληθῆ σοφίαν χειραγωγεῖ, ἥτις ἐστὶ δύναμις θεία, τῶν ὄντων ὡς ὄντων γνωστική, τὸ τέλειον ἔχουσα, παντὸς πάθους ἀπηλλαγμένη, οὐκ ἄνευ τοῦ σωτῆρος τοῦ καταγαγόντος ἡμῶν τῷ θείῳ λόγῳ τοῦ ὁρατικοῦ τῆς ψυχῆς τὴν ἐπιχυθεῖσαν ἐκ φαύλης ἀναστροφῆς ἄγνοιαν ἀχλυώδη καὶ τὸ βέλτιστον ἀπο-*

(Strom. I. c. XIX. § 91, 92, 94.), exceptis iis, qui *τοῦ λόγου ἀσάρκου* instinctu incitati erudiebantur, se ipsum in Filio cognoscendum praebuit; neque quidquam cogitatione effingi potest, quod ab illo iis, qui discendi cupidi sunt et studiosi, praetermissum sit [3]) Quibus concessis sequitur, qui ad Deum revelatum in Filio, quem Clemens *σοφίαν καὶ ἐπιστήμην* appellat, accedere velit, eum illam accessionem (qua semet ipsum Deo assimilet,) perficere non posse nisi ita, ut ad eam veritatem a Filio patefactam enucleandam vires excolat eodemque affinitatis gradu Dei naturam attingere, quo in *cognoscendis* iis, quae manifestata sint, gratia adjuvante progressus faciat. Quae conclusio nobis aperire videtur originem illarum sententiarum Clementinarum, quibus summi boni fruitio sive *τέλος* homini Christiano propositum collocetur in *τῇ θεωρίᾳ* quibusque ea, quaede vita aeterna, de beatitudine disputata sunt, ad rationem cognoscendi referantur. Clementi enim, quum quasi ante oculos obversetur Dei natura *λογικὴ* et *τοῦ λόγου* natura nationibus *σοφίας* et *ἐπιστήμης* definiatur, *τὴν ἐξομοιώσιν πρὸς τὸν θεὸν λόγον* in Christo incarnatum, in ipsa cognoscendi ratione et per-

---

δεδωκότος, ὄφρ' εὖ γινώσκοιμεν ἠμὲν τὸν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα. (Homer. Il. v. 128.) (V. c. I. § 7. ext. *ἐπεὶ γὰρ ἠσθένει πρὸς κατάληψιν τῶν ὄντων ἡ ψυχὴ, θείου διδασκάλου ἐδεήθημεν· καταπέμπεται ὁ σωτὴρ τῆς ἀγαθοῦ κτήσεως διδάσκαλός τε καὶ χορηγὸς)· οὗτός ἐστιν ὁ τῷ ὄντι δείξας, ὅπως τε γνωστέον ἑαυτοὺς, οὗτος ὁ τῶν ὅλων τὸν πατέρα ἐκκαλύπτων, ὧν ἂν βούληται καὶ ὡς οἷόν τε τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν χωρῆσαι νοεῖν.* —

3) Strom. VI. c. VIII. § 70. *πιστεύσας, ὅτι οὐδὲν ἀκατάληπτον τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, ὅθεν οὐδὲ ἀδίδακτον· ὁ γὰρ δι' ἀγάπην τὴν πρὸς ἡμᾶς παθὼν οὐδὲν ἂν ὑπεστείλατο εἰς διδασκαλίαν τῆς γνώσεως.* Strom. V. c. XII. § 83. *λείπεται δὴ θείᾳ χάριτι καὶ μόνῳ τῷ παρ' αὐτοῦ λόγῳ τὸ ἄγνωστον νοεῖν.* ib. VI. c. VII. § 61.

fectione cerni, fieri non potest, quin probetur. Ex qua sententia cogi et effici posse videtur, Dei assimilationem eo magis augeri, quo quis ejus naturam ipso *τῷ ϑεωρεῖν* exprimat. [4])

Sed si a cognitione et iis, quos quis faceret progressus in rebus divinis investigandis salutem repetendam esse constanter doceret, non omnes aeque ejus participes et capaces fieri, sine ulla dubitatione sequeretur. Neque enim cognitione *ϑεωρητικῇ* (quae longe diversa est ab ea certitudine, quae in fide ipsa quasi innata est,) omnes eodem modo imbui possunt, sed pro condicionis et attentionis et studiorum diversitate admodum diverso. Neque haec ipsa, quae quis conjectura assequi posset, Clementem revera tradere quisquam infitiabitur, qui locis illis vel maxime vexatis, quibus de *πίστεως* et *γνώσεως* nationibus disseruit, neque sententiarum de iis latarum discrimina tolli neque potiorem *τὴν γνώσεως* dignitatem negari posse intellexerit. Certissimum mihi est, scriptorem ad *τῆς γνώσεως* a *πίστει* sejungendae diversitatem *specificam* confirmandam et approbandam propensiorem fuisse; conscientiae autem Christianae stimulis cruciatum, quoties contra Graecorum et Gnosticorum commenta Catholicae fidei sinceritatem et integritatem defendere statuat, toties aut *πίστεως* sufficientiam ostendere aut, quid sentiendum sit, haesitare. A quibus sententiis quantopere discreparent eae, quas de *τῆς γνώσεως* sublimitate et natura excelsa tulit, si ea diligentia, qua par esset, indagare et ostendere conaremur, quum a proposito nostro longe aberraremus: sufficiat dicere ex Clementina *τῆς γνώσεως* cum *πίστει* comparatae excellentiae definitione nihil aliud sequi nisi hoc, summi boni *summam* fruitionem pertinere ad solos *γνωστικούς* neque omnium esse ejus usum communem.

---

4) Strom. IV. c. XXIII. § 154 extr.

§ 4.

Sed ex iis, quae disputavimus, quum conjiciendum esse intelligatur, *τὴν ἐξομοίωσιν πρὸς τὸν Θεὸν,* omnibus aliis praetermissis, cognitione sola expetendam esse, quomodo sententia prior de vita *πρακτικῶς* sanctificanda illis, qui Dei similes esse cupiant, defendi possit, quaeritur. Etenim ne id quidem statim cognosci posse videtur, quam ob causam necesse sit, eum, qui Dei assimilationem *τῇ θεωρίᾳ possideat* eaque possidenda summo bono fruatur, viam, qua ad summum fastigium adscendatur, sanctimoniâ et expetendâ et conservandâ munire. At vero eas difficultas amovetur *τῆς γνωσεώς* notione accuratius describenda. Neque enim vocabulum *τῆς γνωσεώς* idem valet, quod cognitio, neque *τῆς θεωρίας* et *τῆς γνώσεως* notiones congruunt. Sed, ut jam ab aliis demonstratum est, nomen *τῆς γνώσεως* hominis habitum eum significat, qui et vitae sanctimonia et cognitionis perfectione constituatur, attamen ita affectum, *ut cognoscendi ratio potissimum in eo praevaleat.* Cognoscendi munus a nemine *γνωστικῶς* administrari potest, nisi ab eo, qui *πράξει* vitam sanctificavit et experiendo cognitam habet Religionis Christianae sanctitatem. Neque igitur secundum Clementis sententiam genuinam is, qui peccatorum sordibus inquinatus nec gratia lumine (Strom. V. c. XIII. § 85.) collustratus, Dei essentiam a Filio patefactam tantummodo *θεωρητικῶς* contemplari posse sibi videtur, eam ipsam *γνωστικῶς* cognoscit neque sperare potest, fore ut, nulla vitae conversione antecedente, illius quasi imago cognitione *θεωρητικῇ sola* exprimatur, quemadmodum supra a nobis conjici posse visum est, sed a sanctificatione [1]) ipsa repetenda est facultas Dei

1) Stromat. III. c. V. § 44. *ἡ γνῶσις οὖν ἐκ τοῦ κάρπου καὶ τῆς πολιτείας, οὐκ ἐκ τοῦ λόγου καὶ τοῦ ἄνθους· οὐ γὰρ λόγον ψιλὸν εἶναι*

sancti sancte cognoscendi. Etenim cognitio *τοῦ γνωστικοῦ* hominis propria procreanda est ex vitae sinceritate et integritate. Summum igitur bonum, homini sese assimilando Deo expetendum et vita et cognitione excolendis ita continetur, ut illa pro initio et fundamento totius *ἕξεως γνωστικῆς*, haec pro *fastigio* habenda sit, ad quod extollatur gnosticus Christianus (cui Jesu Christi, qui virtutem et *θεώρητικὴν* et *πρακτικὴν* ostendit, exemplum imitandum est): quo si adscensum est, actio vitae honestae gubernatur et movetur impulsu *cognitionis* [2])

Quod autem tantum Clemens ipsi cognotioni, vitae gubernatrici, tribuere non reformidet, de ea re a nemine judicium justum fieri potest, nisi ab eo, qui perpendat apud nostrum scriptorem, sicut apud Platonem, cognoscendi notionem vim *ἠθικὴν* habere neque divelli posse a notione *amandi*. Quae et cognoscendi et amandi vocabulorum congruentia si a nobis examinatur et intelligitur, non jam mirum esse potest, quod caritas aeque atque *ἡ γνῶσις sensu strictiore* hominis *τελείωσις* appelletur. [3])

τὴν γνῶσίν φαμεν, ἀλλά τινα ἐπιστήμην θείαν. ib. IV. c. VI. § 40. *ὅταν τοίνυν ἐνθιατρίψῃ τῇ θεωρίᾳ τῷ θείῳ καθαρῶς ὁμιλῶν ὁ γνωστικῶς μετέχων τῆς ἁγίας ποιότητος προσεχέστερον ἐν ἕξει γίνεται ταυτότητος ἀπαθοῦς κ. τ. λ. — εἴη ἂν ἡ τελεία εἰρονηποίησις ἡ ἐπὶ παντὶ τῷ συμβαίνοντι ἄτρεπτον φυλάσσουσα τὸ εἰρηνικὸν, ἁγίαν τε καὶ καλὴν την διοίκησεν λέγουσα ἐν ἐπιστήμῃ θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων καθεστῶσα.*

2) Strom. VII. c. XIII. § 82. *αἴσθεται γὰρ τῆς δωρεᾶς ἧς ἔλαβεν ἄξιος γενόμενος τοῦ τυχεῖν καὶ μετατεθεὶς ἐκ δουλείας εἰς υἱοθεσίαν ἀνακόλουθα τῇ ἐπιστήμῃ μήτε μὴ γνοὺς τὸν θεὸν, μᾶλλον δὲ γνωσθείς τε πρὸς αὐτοῦ ἐπὶ τέλει πρὸς ἀξίαν τῆς χάριτος ἐνδεικνύμενος τὰ ἐνεργήματα. ἕπεται γὰρ τὰ ἔργα τῇ γνώσει ὡς τῷ σώματι ἡ σκιά.* cf. ibid VII. c. III. § 13. IV. c. VI. § 39.

3) Strom. IV. c. VI. § 41; IV. c. VII. § 57; VI. c. VII. § 54, 56; VII. c. X. § 55; V. c. III. § 17. *ἀγαπήσας τε ἐντεῦθεν ἐξομοιοῦται τῷ*

Cap. II.

DE VESTIGIIS PHILOSOPHIAE STOICAE QUAE ESSE VIDENTUR IN CLEMENTIS DOCTRINA MORALI CONSPICUA.

§ 5.

DE Clementis philosophandi genere alios aliud sensisse, notissimum est. Alii Platonis sententias, alii Neoplatonicorum probavisse theologum Alexandrinum, alii ex singulis systematis, quae potissimum placeant, ea et elegisse et composuisse censuerunt. Ex quibus ii, qui eam sententiam, de qua ultimo loco commemoravi, defendunt, Clementis ipsa verba, quibus confirmetur, (Strom. I. c. VII. § 37.) [1]) afferre posse videntur Hoc enim loco profi-

---

ἠγαπημένῳ τοῦτ' εἶναι σπεύδων, ὃ φθάσας ἠγάπησεν (cf. Strom. VI. c. IX. § 73. *εἰ γοῦν ἡ πᾶσα οἰκείωσις ἡ πρὸς τὰ καλὰ μετ' ὀρέξεως γίνεται, πῶς ἀπαθὴς* [cf. § 8.] *μένει, φησὶν, ὁ τῶν καλῶν ὀρεγόμενος; ἀλλ' οὐκ ἴσασιν ὡς ἔοικεν, οὗτοι τὸ θεῖον τῆς ἀγάπης· οὐ γάρ ἐστιν ἔτι ὄρεξις τοῦ ἀγαπῶντος ἡ ἀγάπη, στερκτικὴ δὲ οἰκείωσις εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως*). Quis dives salvetur. § 27. — Loci de accessione ad Deum et assimilatione Dei enumerentur hi: Stromat. VI. c. IX. § 72; VI. c. XIII. § 104; IV. c. VI. § 41; IV. c. XXII. § 141; VI. XIV. § 114; VII. c. XVII. § 150.

1) *καταφαίνεται τοίνυν προπαιδεία ἡ Ἑλληνικὴ σὺν καὶ αὐτῇ φιλοσοφίᾳ θεόθεν ἥκειν εἰς ἀνθρώπους οὐ κατὰ προηγούμενον, ἀλλ' ὃν τρόπον οἱ ὑετοὶ καταρρήγνυνται εἰς τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν καὶ εἰς τὴν κοπρίαν καὶ ἐπὶ τὰ δώματα, βλαστάνει δ' ὁμοίως καὶ πόα καὶ πυρὸς κ. τ. λ. — φιλοσοφίαν δὲ οὐ τὴν Στωικὴν λέγω οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν ἢ τὴν Ἐπικούρειόν τε καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέ-*

tetur scriptor, in veterum philosophorum libris legendis vel maxime industrius, philosophiam eam, quae a Deo ad homines non venerit quidem principaliter, sed Deo sic ordinante, neque Platonicam, neque Stoicam, neque Peripateticam a se putari, sed eam, quae singulis placitis, quae vera et recta, humanis commentis sejunctis, in quaque inveniantur, contenta sit, *τὸ ἐκλεκτικὸν* appellandam esse. Sed ea Clementis philosophandi ratio *ἐκλεκτική*, quam ipse profitetur, quomodo intelligenda sit, quaeritur.

Clemens, quum eas, quas in veterum philosophorum libris veri particulas inveniat, sibi probari concedat, ea placita non elegisse et in sua convertisse, sed auctoritate religionis Christianae confirmatas probavisse videtur. Neque igitur eam ob causam, quod suae ipsius sententiae consentanea esse intelligantur, sed, quod normâ *κριτηρίου* Religionis Christianae, secundum quam ea dijudicaverit, roborentur, laudavisse dicendus esse videtur. At vero quoniam illud judicium faciendum fuit *Clementi Christiano* secundum ipsius religionis Christianae intelligentiam atque religio Christiana *ipsa* et ejus intelligendae ratio *Clementis* diversae sunt: quae *Clementi* consentanea ei et convenientia et divinitus suppeditata esse per *λόγον* (l. l. *ὅσα δὲ ἀνθρωπίνων λογισμῶν ἀποτεμόμενοι παρεχάραξαν, ταῦτα οὐκ ἄν ποτε θεῖα εἴποιμ' ἄν)* videantur, ea non putanda esse sine mora *religione Christiana* confirmari apparet. Neque enim religio Christiana ipsa, sed Clemens *Christianus* sententiam consentaneam tulit: quae enata est ex ipsius assensione. Clemens autem Alexandrinus tantum abest, ut Christianus omnibus numeris absolutus fuisse ducendus sit, ut sententiarum philosopharum, quae ante conversionem placuerant, reliquias post conversionem

---

σεων τούτων καλῶς δικαιοσύνην μετ' εὐσεβοῦς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν φιλοσοφίαν φημί.

retinuisse intelligatur. Quarum reliquiarum semina ejus animae tamquam terrae fertili et opimae mandata eo celerius prodierunt vel potius renata sunt, quo vehementius in eo erat studium religionis Christianae philosophiae gentilis adminiculis adhibendis in scientiae formam redigendae. Revera ipse, disciplinae Christianae addictus, nihil aliud nisi dogmata mere Christiana condere voluit et ea vera esse intelligere; sed condendis iis fieri non potuit quin plurima admisceret, quae ex placitis philosophorum, quorum radices in ejus anima non erant exstinctae, jam ante conversionem probatis originem ducerent vel potius religionis Christianae ideas temperaret secundum eorum tenorem. Quod eo facilius fieri potuit, quum non fuerit praeditus ingenio ad cogitationum cohaerentiam distincte percipiendam et ad ea, quae in mentem veniunt, via et ratione disserenda apto, sed ad sententias singulas, ex nexu genuino exemtas et laudandas et probandas facilis et promptus. Neque igitur est quod miremur, ex systematis veterum Graecorum variis sententias varias jam ante conversionem electas renovaverit. Inter quas eae, quas a disciplina Stoica repetierit, ad doctrinam ejus moralem conformandam maximi momenti fuisse mihi videntur. De qua re quum fusius disputare in animo sit, ne in falsam accusationem incurramus, monemus, ne quis nobis vestigia philosophiae Stoicae in Clementis doctrina conspicua indagantibus exprobret, quod vana et inania tentemus, quoniam theologus Alexandrinus, de quo sermo est, scholae christianae neque Stoicae addictus fuerit. A qua sententiam nostram non esse alienam non est, quod uberius exponamus. Etenim nihil aliud agimus, nisi hoc, ut, quamnam vim philosophia *Stoica* in notiones ethicas Christianas *Clementi* intelligendas et conformandas exercuerit, quaeramus. Quae quaestio eo diligentius instituenda est, quum ex loquendi formularum

usu *communi* doctrinae consensus major effici soleat, quam efficiendus est.

§ 6.

Totius doctrinae Stoicae summa cernitur in dijudicanda virtute, cujus est haec aestimatio, ut sit unum bonum propter se ipsum expetendum et ad beate vivendum per se ipsam contenta, ceteris bonis, quippe quae sint falsa et adulterina, aeque contemtis. [1]) Itaque quum unum bonum sit id, quod honestum (virtus), quidquid contingit, qualecunque aliis videtur, sapienti felix et faustum erit: etenim incommoda omnia suo jure bona vocanda sunt, quae modo virtus honestavit (Seneca ep. 71.). Bonum autem summum vel potius *unum* quum neque accessione neque deminutione immutari possit, ne secundaria quidem bona appellanda sunt secundum Stoicorum disciplinam *strictiorem* ea, quae extra virtutem posita sunt: virtuti potius, quae neque augetur, neque deminuitur, *τοῖς ἀδιαφόροις* in medio collocatis, opponitur vitium sive inhonestum, quod est summum malum. Est autem virtus ea, quae tantis laudibus tollitur, nihil aliud nisi *recta ratio*, sejuncta ab omnibus animi perturbationibus et affectibus, vel potius enata iis non solum depressis, sed radicitus sublatis et eversis, sive *scientia* naturae convenienter vivendi eique consentanea vitae exercitatio. (Diogen. Laert. Lib. VII. Sect. LIII. § 88.)

---

1) Cf. *Zeller*, Die Philosophie der Griechen. Tom. III. 1. p. 128. sqq. Cicero de Finib. III. c. X. Seneca ep. 71. § 4. Nec multis verbis nec circuitu longo quid sit summum bonum colligis: digito, ut ita dicam, demonstrandum est nec in multa spargendum. Quid enim ad rem pertinet, in particulas illud diducere? Quum possis dicere, Summum bonum est, quod honestum est et quod magis mireris, Unum bonum est, quod honestum; cetera falsa et adulterina bona sunt.

Quibus sententiis simillimae apud Clementem inveniuntur in describenda imagine hominis *γνωστικοῦ*. Etiam apud theologum Alexandrinum matrix omnis actionis honestae cognitio; virtutis radix scientia esse perhibetur. [2]) Quae scientia quam nullius

2) Clementis virtutis est haec definitio universa, ut sit *διάθεσις ψυχῆς σύμφωνος ὑπὸ τοῦ λόγου περὶ ὅλον τὸν βίον*. Paedag. I. c. XIII. § 101. Quod vocabulum *τῆς διαθέσεως* apud Stoicos usitatum significat qualitatem immutabilem, sive rectitudinem eam, quae si aut intenderetur aut remitteretur, ipsa evertenda esset. A qua *διαθέσει* a Stoicis quidem discernuntur *ἕξεις*, a Clemente autem quum *τὴν γνῶσιν*, virtutis radicem, *ἕξιν* appellet, id discrimen negligi, loco mox afferendo ostendetur. Virtutis vero illam aequabilitatem et constantiam, quam Stoici extollere solent, eidem scriptori probari, praesertim ex iis locis intelligitur, quibus *τοῦ γνωστικοῦ* laudes celebrat. Immo virtutis et *τῆς γνώσεως* notiones tam arcte inter se junctae sunt, ut fere iisdem verbis, quibus illa, etiam haec definiatur. Quod apparet sententiis his inter se comparatis: Strom. IV. c. XXII. § 141. *ἐπεὶ μηδ' ἐξίσταταί ποθ' ἑαυτῆς ἡ ἕξις ἀποπεσοῦσα τοῦ ἕξις εἶναι· εἴτ' οὖν ἡ γνῶσις ἕξις εἴτε διάθεσις εἶναι λέγοιτο, τῷ γὰρ μὴ παρεισιέναι ποτὲ ἐννοίας διαφόρους ἀναλλοίωτον τὸ ἡγεμονικὸν μένον οὐ προςλαμβάνει τινὰ ἑτεροίωσιν φαντασιῶν.* Strom. VII. c. X. § 55. *ἔστιν — ἡ γνῶσις — διὰ τῆς τῶν θείων ἐπιστήμης συμπληρουμένη κατά τε τὸν τρόπον καὶ τὸν βίον σύμφωνος καὶ ὁμόλογος ἑαυτῇ καὶ τῷ θείῳ λόγῳ.* Quae definitiones si inter se et iis conferuntur, quae Paedag. I. c. XIII. de virtute leguntur, earum congruentia cognoscitur. Id quod apud Clementem, si ad ejus sententiarum cohaerentiam et loquendi formularum, quibus utitur, varietatem respicimus, nobis mirum esse non potest. Etenim perfecta virtus in nullo cernitur, nisi in eo, qui *τῆς γνώσεως* eminentia ornatus est: *τὴν γνῶσιν* autem, cujus *οἱ πιστικοὶ* expertes esse intelliguntur, praeter cognitionis excelsitatem etiam vitae sanctitate contineri demonstratum est. Quae vitae sanctitas *τῆς θεωρίας* fundamentum quidem est, (vide § 9) vel potius initium, nihilo tamen minus virtutis perfectae et integrae *usus* origo ab ea *θεωρίᾳ*, quae *τῆς γνωστικῆς ἕξεως* propria est, ducenda est. — Quemadmodum Stoici, sic etiam Clemens Alexandrinus peccatum ex

nisi *τοῦ γνωστικοῦ* propria sit: virtus perfecta ex ea procreanda, secundum Clementem a solis *γνωστικοῖς*, quemadmodum secundum doctrinam Stoicam a sapientibus, exerceri potest: quae doctrina quantopere discrepet a genuina disciplina Christiana, hoc loco fusius exponere alienum est. Praeterea autem, quae philosophi ei scholae addicti de perturbationibus animi homini perfecto non solum reprimendis, sed evertendis, [3]) siquidem sint rationi con-

---

nulla alia re, nisi ex errore rationis enasci solere Paedag. I. c. XIII. § 101; actionem Christianam (gnosticam) (§ 102.) *κατὰ κρίσιν ἀστείαν καὶ ὄρεξιν ἀληθείας* perficiendam, [Seneca ep. 94. § 45. In duas partes virtus dividitur in contemplationem veri et actionem: contemplationem institutio tradit, actionem admonitio etc.] vitam Christianam *σύστημα λογικῶν πράξεων* (Paedag. I. c. XIII.) appellandam esse censet. Cf. Strom. II. c. XV. § 62. *τὸ ἁμαρτάνειν ἐκ τοῦ ἀγνοεῖν κρίνειν.* Strom. VI. c. XIII. § 113. *κακὸν μὲν οὐδὲν ἄλλο πλὴν ἀγνοίας εἶναι.* — IV. c. XXVI. § 170. *ὁ γὰρ ἐν ἀγνοίᾳ, ἁμαρτητικός ἐστιν, ὁ δὲ ἐν γνώσει καθεστὼς ἐξομοιούμενος θεῷ.* — ibid. V. c. III. § 17. Strom. VI. c. VIII. § 69. *ἀρχὴ καὶ δημιουργὸς πάσης πράξεως λογικῆς ἡ γνῶσις ἂν εἴη ἄν.* — Neque enim virtus *τῆς φύσεως πλεονέκτημα* est. Strom. VII. c. III. § 19. *οὔτε γὰρ φύσει τὴν ἀρετὴν γεννώμεθα ἔχοντες οὔτε γενομένοις, ὥσπερ ἄλλα τινὰ τῶν τοῦ σώματος μερῶν φυσικῶς ὕστερον ἐπιγίνεται, ἐπεὶ οὐδ' ἂν ἦν ἔθ' ἑκούσιον οὐδὲ ἐπαινετὸν, οὐδὲ μὴν ἐκ τῆς τῶν συμβάντων καὶ ἐπιγενομένης συνηθείας κ. τ. λ.* Cf. Zeller l. l. III. 1. p. 136: Die Wurzel und Bedingung alles vernunftmässigen Handelns ist nach der Ansicht der Stoiker die richtige Erkenntniss: *eine natürliche* und durch blosse Uebung erworbene *Tugend* wird von ihnen ausdrücklich *geleugnet.*

3) Ciceronis Academ. Lib. I. c. X.: — cumque perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturâque et condolescere et extimescere et efferri laetitia dicerent, sed ea contraherent in angustumque deducerent: Zeno his omnibus quasi morbis voluit carere sapientem. Cumque eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent et rationis expertes, aliaque in parte animi cupiditatem, alii rationem collocarent:

trariae, aegrotationes morbique animorum, disserere solent, ea scriptor noster fere totidem verbis repetere videtur. Huc non *omnes* quidem pertinent loci, quibus postulat, ut *αἱ ἐπιθυμίαι* domentur et restringantur; — etenim *αἱ ἐπιθυμίαι* interdum in ejus libris eae esse intelliguntur, [4]) quas scriptura sacra (Ep. ad Rom. VII. 7 squ.) *σαρκικὰς* nominare solet, sed ii, quibus *τῆς ἐπιθυμίας* vocabulum nihil aliud nisi *πάθος* significare intelligitur: ex quo, *quum id per se ipsum peccato infectum* esse ut *censeat* Clemens induci videtur, eximendum esse virum gnosticum apparet. [5]) In quibus sententiis ei, qui non diligenter eos locos legit neque caute perpendit, quae illarum cohaerentia cum ceteris Clementis placitis sit, philosophiae potius *haereticae gnosticae* vestigia forsitan indaganda esse videantur. Idem enim scriptor, qui a Gnosticorum reprehensionibus materiae, ut ita dicam, integritatem et

---

ne his quidem assentiebatur: *nam et perturbationes voluntarias esse putabat opinionisque judicio suscipi et omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem immoderatam quandam intemperantiam.* Cf. Disput. Tuscul. IV. c. XIII. Zeller l. l. III. 1. p. 134.

4) Strom. III. c. V. § 42; VII. c. XII. § 74.

5) Strom. VI. c. IX. § 73. 74. *ἐξαιρετέον ἄρα τὸν γνωστικὸν ἡμῖν καὶ τέλειον ἀπὸ παντὸς ψυχικοῦ πάθους, ἡ μὲν γὰρ γνῶσις συνάσκησιν, ἡ συνάσκησις δὲ ἕξιν ἢ διάθεσιν ἐργάζεται.* IV. c. VI. § 40. *τὸν ἀντιστρατηγοῦντα νόμον τῷ φρονήματι τοῦ νοῦ ἡμῶν τοῦ θυμοῦ τὰς ἀπειλὰς καὶ τῆς ἐπιθυμίας τὰ δελέατα, τά τε ἄλλα πάθη, ὅσα πολεμεῖ τὸν λογισμὸν τιθασσεύσαντες καὶ ἐξηρεμώσαντες, οἱ μετ' ἐπιστήμης ἔργων τε καὶ ἀγαθῶν καὶ λόγου ἀληθοῦς καταβιώσαντες εἰς υἱοθεσίαν ἀποκαταστaθήσονται τὴν προσφιλεστέραν.* Paedag. I. c. XIII. § 101. Strom. VII. c. XII. § 71. *ἀλλ' ἡμῖν γε ὡς ἔνι μάλιστα προγυμναστέον ποικίλως τὴν ψυχὴν — — ὡς ὁ θάνατος χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος, οὕτως ἡ γνῶσις οἷον ὁ λογικὸς θάνατος ἀπὸ τῶν πάθων ἐπείγων καὶ χωρίζων τὴν ψυχήν.*

sinceritatem defendit, [6]) et eam mali expertem ducendam esse gravissimis argumentis afferendis ostendit, neque dubitat vehementissime invehi in eas *αἱρέσεις*, quae *τὸ ὑπέρτονον ἄγουσαι ἐγκράτειαν διὰ δυσσεβείας καὶ φιλαπεχθημοσύνης καταγγέλλουσι* (Strom. III. c. V. § 40.) neque intelligunt *οὔτε ἀγαθὸν τὴν ψυχὴν φύσει εἶναι οὔτε κακὸν φύσει τὸ σῶμα* (Strom. IV. c. XXVI. § 166.): nihilo tamen minus in iis parvi aestimandis, quae *ψυχικὰ* a Gnosticis appellari solent, cum illis consentire videtur. At vero causae, quibus Clemens ad eam sententiam de *τοῖς παθητικοῖς* ferendam adductus est, ab iis, quibus haeretici gnostici moti sunt, ut simile judicium facerent, admodum diversae sunt; contra argumentis Stoicis consentaneae. Etenim Gnosticis eae *ψυχικαὶ* perturbationes, quemadmodum omnia *ψυχικὰ*, naturales; Stoicis et Clementi voluntariae esse videbantur: res *terrestres illis* per se mali sordibus infectae neque vincendae nisi viribus *πνευματικαῖς* vel maxime intentis; Stoicis et Clementi indifferentes, sapienti jam subjectae neque satis validae ad virtutem animosam et excelsam, sublimi loco positam, laedendam. [7]) Relinquitur igitur, ut sententiam Clementinam Stoicae similiorem esse censeamus. Alexandrinus enim virum *Christianum* gnosticum, cui exemplar ad imitandum propositum Servatoris vita ipsa est [8]), ita describit, ut omnium et aegritudinum et dolorum expers esse, ne-

---

6) Stromat. IV. c. IV. § 17. (Paedag. I. c. VI. § 52.) VII. c. III. § 20: — *ἀλλὰ (πρὸς) τὰς διὰ σαρκῶν ἐνεργούσας πνευματικὰς ἐξουσίας ἐμπαθῶν παθῶν.*

7) Quae Strom. II. c. V. § 46. (*ἁπλῶς ὅσα φυσικὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ, ταῦτα οὐκ ἀναιρεῖν ἐξ αὐτῶν δεῖ, μᾶλλον δὲ μέτρον αὐτοῖς καὶ καιρὸν ἐπιτιθέναι πρέποντα*) leguntur, ea num reconciliari possint cum ceteris Clementis sententiis, de ea re vide infra § 9. 10.

8) Strom. VI. c. IX. § 71.

que lugere [9]) neque gaudere neque irasci, [10]) neque a Deo neque ab hominibus promissorum praemiorum respectu [11]) habito agere dicatur.

Gnostici hominis, ad contemplandas res divinas, atque cognoscendas vel maxime intenti, propria *ἕξις* est *ἀπάθεια* [12]) sive immutabilis constantia: quae quantam vim et gravitatem habeat in Stoicorum doctrina ethica nemo est, qui ignoret. Quemadmodum Deus ipse *ἀπαθὴς* (Strom. VI. c. IX. § 73 extr.) a Clemente esse intelligitur et Christus (Strom. VI. c. IX. § 72.) et Apostoli (Strom. VI. c. IX. § 71.): sic is, qui eorum vestigia premit, gnosticus, quum in rebus coelestibus perspiciendis defixus sit, sanctitatis particeps factus in aequabili statu *τῆς ἀπαθείας* permanet. (Strom. IV. c. VI. § 40; VI. c. IX. § 72, 74.) Ne earum quidem virtutum exercitationum, quibus se ipsum tueri soleat homo ab iis, quae animi tranquillitatem turbent, velut fortitudinis, temperantiae indiget is, qui *γνωστικῶς* vitam degens, quaecunque

9) Strom. V. c. V. § 29.

10) Strom. VI. c. IX. § 71. Cf. Cicero de Officiis I. c. XXV. Disput. Tuscul. III. c. IX. Seneca De ira.

11) Strom. IV. c. XXI. § 137. *ἔργον δὲ αὐτοῦ οὐχ ἡ ἀποχὴ τῶν κακῶν — οὐδὲ ποιεῖν ἀγαθὸν ἤτοι διὰ φόβον — — ἀλλ᾽ οὐδὲ δι᾽ ἐλπίδα τιμῆς ἐπηγγελμένης.*

12) Strom. VI. c. IX. §§ 73. 74. 75: — *ἐξήγαγεν δὲ τὴν ψυχὴν τῶν παθῶν — ζῇ τε αὖ νεκρώσας τὰς ἐπιθυμίας καὶ οὐκ ἔτι συγχρῆται τῷ σώματι, μόνον δὲ αὐτῷ ἐπιτρέπει χρῆσθαι τοῖς ἀναγκαίοις, ἵνα μὴ τὴν αἰτίαν διαλύσεως παράσχῃ.* Ib. IV. c. III. § 12; IV. c. XXII. § 139: *τούτῳ τέθνηκεν ἡ σάρξ, ζῇ δὲ αὐτὸς μόνος ἀφιερώσας τὸν τάφον εἰς ναὸν ἅγιον κυρίῳ.* IV. c. XXII. § 141. *αὕτη γὰρ ἡ κατὰ δύναμιν ἐξομοίωσις πρὸς θεὸν τὸ φυλάττειν τὸν νοῦν ἐν τῇ κατὰ τὰ αὐτὰ σχέσει.* Cf. Strom. I. c. XXIV. § 149.

imminent, pericula longe superavit, sola fruitione beatus est. Etenim innata in eo esse dicenda est (Strom. VII. c. VII. § 48) quasi bonitas quaedam, *ἀπάθειαν* divinam ita appropriaus, ut Dei ipsius capax factus in summum gradum assimilationis Dei provehatur: in suae enim vitae ratione naturam divinam *ἀπαθῆ* luculentissime exprimit. Gnosticus igitur, qui in semet ipsum se recolligit, quaecunque in mundo fiunt, eorum excitamentorum vim jam infregit, procellarum mare turbantium tempestatem cohibuit vel potius ab ea tutus est neque facere potest quin, quaecunque accidunt, ea ex suo arbitrio apta reddat (Strom. VII. c. XI. § 65: *τούτῳ πάντα εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πρὸς τὴν τοῦ τέλους κτῆσιν*) et in usum suum convertat; (Strom. IV. c. V. § 19, VII. c. XI. § 65.) neque enim ullis calamitatibus laeditur neque injuria afficitur neque ei fortitudine opus est. (Strom. VI. c. IX. § 76, VII. c. III. § 188. Sed cf. pulcherrimum locum Strom. VII. c. III. § 20.)

§ 7.

Praeterea dignissima sunt, quae commemorentur, discrimina Stoicis et Clementi virtutis generum communia vel potius eorum *verborum,* quibus actionum honestarum gradus significantur, congruentia: ex qua facile quis conjiciendum esse censeat, doctrinae Clementinae cum Stoica consensum, quem modo indagavimus, confirmari. — Stoici enim secundum *strictioris* disciplinae tenorem honestam vitam sola virtute, quae unius boni honore et dignitate nobilitata esset, contineri et eam hominis sapientis propriam esse quum traderent: praeter actionem *honestam, ex scientia generandam,* nullam inveniri, quae non vitiorum iniquitate sit infecta, nihil igitur inter virtutem et vitium medium interpositum esse negare non potuerunt. Virtutem enim aut esse perfectam aut nullam,

apud Stoicos sermonis consuetudine divulgatum est. Attamen a Stoicis ipsis, qui ea sententia tenaciter stabilita omnem differentiam rerum tolli vitamque confundi intelligerent, (Cic. de Finib. III. c. 15.) austeritatem *θεωρίας* vitae necessitatibus repugnantem mitigatam esse, *Zellerus* [1]) summae ingenii subtilitate exposuit. Cujus mitigationis rationem, quum plurimum facere videatur ad Clementis doctrinam dijudicandam, paucis repetere liceat.

Ad *beate* vivendum virtutem, solam expetendam, per se ipsam esse contentam si ii philosophi ad difficultates illas amovendas, ut infitiarentur, inducti essent: ipsum disciplinae fundamentum everteretur: quod potius tueri et servare conabantur. Sed salva ejus unius boni dignitate, tamen quaecunque praeter eam existere intelligebant, ea non statim mala habenda esse sed *ἀδιάφορα*, inter bona et mala interposita, docuerunt. Quae *ἀδιάφορα* tamen inter se ipsa differre dicuntur. Alia enim, quae *προηγμένα* (producta) appellantur, aestimabilia esse censuerunt sive aestimanda ob eam causam, quod in iis satis esset causae, cur aliis anteponerentur, velut valetudinem et doloris vacuitatem, sensuum integritatem, gloriae celebritatem. Ea igitur, quorum pretia negari non poterant, quum ad finem referrentur (Cicero de Finibus III. 16.), optabilia esse et desideranda videbantur: [2]) contra,

1) l. l. III. p. 151.

2) Diogenis Laert. Vit. VII. cap. LXI. § 105. *Τῶν ἀδιαφόρων τὰ μὲν λέγουσι προηγμένα, τὰ δὲ ἀποπροηγμένα. Προηγμένα μὲν τὰ ἔχοντα ἀξίαν· ἀποπροηγμένα δὲ, τὰ ἀναξίαν ἔχοντα. Ἀξίαν δὲ, τὴν μέν τινα λέγουσι σύμβλησιν πρὸς τὸν ὁμολογούμενον βίον, ἥτις ἐστὶ περὶ πᾶν ἀγαθόν· τὴν δὲ εἶναι μέσην τινὰ δύναμιν ἢ χρείαν συμβαλλομένην πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον, ὅμοιον εἰπεῖν, ἥν τινα προςφέρεται πρὸς τὸν κατὰ φύ-*

quae satis habebant causae, ob quam rejicerentur, velut dolor, morbus, paupertas *ἀποπροηγμένα* nominabantur. Quibus concessis relinquitur, ut in numerum eorum, quae sensu *strictiore* pro *ἀδιαφόροις* habenda sint, limitibus coarctata illa referantur, quae neque optanda neque rejicienda esse videantur, quaeque etiam theologiae Christianae moralis doctores licita appellare consueverunt; sicut *τὸ ἀρτίας ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τρίχας ἢ περιττὰς ἢ ἐκτεῖναι τὸν δάκτυλον ἢ συστεῖλαι.* (Diogenes Laert. VII. § 103.) Quae quum disputata sint a Stoicis, repugnantia inter se ab iis misceri neque intelligi, quomodo cum iis, quae de summo bono propter se ipsum petendo tradiderint, placita de *τοῖς προηγμένοις* exposita reconcilientur, negari non potest. Etenim si virtus revera bonum unum est, cujus fundamento hominis sapientis salus nitatur, neque augeatur, neque deminuatur, illa producta ulla aestimatione digna esse, concedi non potest. Neque enim ob eam causam virtus summum bonum nuncupatur, quod vehementius expetatur, quam alia, sed quod, ceteris contemtis, unice expetatur. Quae *αὐτοτελὴς* virtutis dignitas deletur iis, quae de productorum aestimatione disseruerunt illi philosophi.

Praeterea iidem Stoici virtutis exercitationum genera sive gradus esse concedere non dubitaverunt. Secundum strictiorem doctrinam, si sibi consentanea foret, id omnibus nervis iis intendendum esset, ut intelligeretur, actionem honestam a nullo, nisi ab eo, qui virtute perfecta esset praeditus, perfici posse: ex qua

---

σιν βίον, πλοῦτος ἢ ὑγίεια· τὴν δὲ εἶναι ἀξίαν ἀμοιβὴν δοκιμαστοῦ, ἣν ἂν ὁ ἔμπειρος τῶν πραγμάτων τάξῃ κ. τ. λ. § 106. *Προηγμένα μὲν οὖν εἶναι ἃ καὶ ἀξίαν ἔχει· οἷον ἐπὶ μὲν τῶν ψυχικῶν, εὐφυΐαν, τέχνην, προκοπὴν καὶ ὅμοια. — Ἀποπροηγμένα δὲ ἐπὶ μὲν τῶν ψυχικῶν ἀφυΐαν, ἀτεχνίαν καὶ ὅμοια.*

sententia continuo sequeretur, ut, qui eâ privaretur, ab eo nulla opera nisi prava edi censendum esset. Attamen notissimum est, Stoicos discernere solitos esse inter officia perfecta et media, *τὰ κατορϑώματα* et *καϑήκοντα*, illa hominis sapientis propria, haec communia. *Τὰ καϑήκοντα* actiones sunt legi consentaneae et honesti speciem prae se ferentes, sed ex ejus, qui agit, neque voluntate honesta neque scientia recti necessario exortae. Contra *τὰ κατορϑώματα τῆς ἀρετῆς ἐνεργήματα* sunt, actiones, in quibus ipsa honesti idea exprimatur, quae quodammodo praesens et efficax sit in homine sapiente.

Quibus praemissis loci ii, qui in Clementis Strom. libr. IV. c. XXVI. § 166; [3]) VI. c. XIII. § 111. [4]) occurrunt, satis perspici et dijudicari possunt. Utroque enim loco loquendi formulae scholam Stoicorum redolentes inveniuntur. Altero *τῶν ἀδιαφόρων* genus universum et species *τῶν προηγμένων* et *ἀποπροηγμένων* agnoscit scriptor. Quo *ἀδιαφόρων* (sensu *strictiore*) ab *τοῖς ἔργοις τῆς ἀρετῆς* discrimine agnito non statim intelligi *videtur*, quibus causis motus sit, ut praecepta illa accu-

---

4) — *οὐδὲ μὴν, ὃ μή ἐστιν ἀγαθὸν τοῦτο εὐθέως κακὸν· εἰσὶ γὰρ οὖν καὶ μεσότητές τινες καὶ προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα ἐν τοῖς μέσοις· ἐχρῆν δὴ οὖν τὴν σύνθεσιν τοῦ ἀνθρώπου ἐν αἰσθητοῖς γενομένην ἐκ διαφόρων συνεστάναι, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἐναντίων σώματος καὶ ψυχῆς.*

4) *ὥσπερ οὖν τὸ μὲν ἁπλῶς σώζειν τῶν μέσων ἐστὶν, τὸ δὲ ὀρθῶς καὶ δεόντως κατόρθωμα, οὕτως καὶ πᾶσα πρᾶξις γνωστικοῦ μὲν κατόρθωμα, τοῦ δὲ ἁπλῶς πιστοῦ μέση πρᾶξις (= καθῆκον) λέγοιτ' ἂν, μηδέπω κατὰ λόγον ἐπιτελουμένη μηδὲ μὴν κατ' ἐπίστασιν κατορθουμένη· παντὸς δὲ ἔμπαλιν τοῦ ἐθνικοῦ ἁμαρτητικὴ, οὐ γὰρ τὸ ἁπλῶς εὖ πράττειν, ἀλλὰ τὸ πρός τινα σκόπον τὰς πράξεις ποιεῖσθαι καὶ λόγον ἐνεργεῖν καθῆκεν, αἱ γραφαὶ παριστᾶσιν.* cf. Zeller l. l. III. 1. p. 139. Cicero de officiis III. c. III.

ratissima de vestitu, de potu, de habitu, etc. in Paed. exponat. Ejusmodi enim res *si* indifferentes = *ἀδιάφοροι* habentur a Clemente ex more et secundum *disciplinam Stoicam*, non facile quis perspiciet, quam ob rem tam anxius et severus sit in describendis rationibus iis, quibus vita Christiana in minimis illis rebus ad normam honesti accommodanda sit. Sufficiat autem hoc loco de ea re dubitationem commovere, solutionem differre. Quae eo difficilior esse videtur, quo apertius sit, altero loco Strom. VI. c. XIII. § 111. *praeterea alia* vestigia Stoica apparere, discrimen *τοῦ κατορθώματος* et *τοῦ καθήκοντος* Stoicorum proprium Clementi probari: etenim quae illi philosophi de officio medio et perfecto disputaverunt, quorum hoc in sapientem, illud in ceteros homines cadit, ea theologus Alexandrinus ad *τὸν πιστικὸν* et *γνωστικὸν* refert. Tria actionum genera enumerat: *τὸ κατόρθωμα* hominum gnosticorum, qui secundum rationem et scientiam opera perficiunt; *μέσην πρᾶξιν* (officium medium *καθῆκον*) fidelium; *ἁμάρτημα* paganorum. Fideles ejusmodi opera edere possunt, quibus simpliciter salventur; gnostici autem, quum eorum causas et rationes cognitas habeant, ea, quibus recte et, quemadmodum decet, salventur. [5]) Ex qua sententia denuo intelligitur, et pro honestae et perfectae actionis fundamento scientiam habendam et discrimina *salutis* secundum scriptoris sententiam fere eadem agnoscenda esse, quae gnostici haeretici statuerint.

Quae discrimina sustulisse videtur Clemens Paedag. I. c. XIII. § 102: *τὸ δὲ κατορθούμενον κατὰ τὴν τοῦ λόγου ὑπακοὴν προσῆκον καὶ καθῆκον Στωϊκῶν ὀνομάζουσι παῖδες·* (potius exspectes:

5) Stromat. VII. § 115. *τὸ αὐτὸ ἔργον διαφοραν ἴσχει, ἢ διὰ φόβον γενόμενον ἢ δι᾽ ἀγάπην τελεσθὲν ἢ ἤτοι διὰ πίστεως ἢ καὶ γνωστικῶς ἐνεργούμενον.*

το κατα τὴν τοῦ λόγου ὑπακοὴν προσῆκον καὶ καθῆκον ὀνομάζουσι — κατορθούμενον) τὸ μὲν οὖν καθῆκον προσῆκόν ἐστιν, ὑπακοὴ δὲ θεμελιοῦται ἐντολαῖς· αὗται δὲ ταῖς ὑποθήκαις αἱ αὐταὶ οὖσαι τὴν ἀλήθειαν ἔχουσι σκοπὸν, ἐπὶ τὸ ἔσχατον ὀρεκτὸν, ὃ τέλος νοεῖται, παιδαγωγοῦσι, τέλος δέ ἐστι θεοσεβείας ἡ ἀΐδιος ἀνάπαυσις ἐν τῷ θεῷ, τοῦ δὲ αἰῶνός ἐστιν ἀρχὴ τὸ ἡμέτερον τέλος· τὸ μέντοι θεοσεβείας κατόρθωμα δι ἔργων τὸ καθῆκον ἐκτελεῖ· ὅθεν εἰκότως τὰ καθήκοντα περὶ τὰς πράξεις, οὐ τὰς λέξεις καθίστανται· καὶ ἔστιν ἡ μὲν πρᾶξις ἡ τοῦ χριστιανοῦ ψυχῆς ἐνέργεια λογικῆς κατὰ κρίσιν ἀστείαν καὶ ὄρεξιν ἀληθείας διὰ τοῦ συμφυοῦς καὶ συναγωνιστοῦ σώματος ἐκτελουμένη, καθῆκον δὲ ἀκόλουθον ἐν τῷ βίῳ τῷ θεῷ καὶ Χριστῷ βούλημα [ἕν], κατορθούμενον ἀϊδίῳ ζωῇ.

§ 8.

Quas Clementis sententias cum Stoicis conferentibus nobis cavendum est, ne ex loquendi formularum congruentia sine mora conjiciendum esse censeamus, etiam argumenta congruere; neve hoc praetermittamus, locos multos, qui in Senecae, philosophiae Stoicae fortissimi propugnatoris, libris reperiuntur, locis *biblicis*, quibus et Stoicae et Clementinae sententiae confirmari videantur, revera simillimos esse. Immo non pauca, quae de virtutis indole *θεωρητικῶς* disseruntur et *postulantur* a Stoicis, formaliter vera sunt, veritati Christianae ex parte consentanea, sed *fide* ei veritati adhibenda *demum praestanda*. (Strom. VI. c. XVII. § 151.) Quaecunque gnostico accidunt, ea ut in ipsum usum convertat, admonet Clemens [1]) et Stoicorum sententiis ea admonitio proba-

1) Strom. IV. c. V. § 19. *Θαυμάζειν ἄξιον καὶ τῶν Στωικῶν οἵτινές φασι μηδὲν τὴν ψυχὴν διατίθεσθαι μήτε πρὸς κακίαν ὑπὸ τῆς νόσου*

tur. Eadem autem Paulus apostolus, Ep. ad Rom. VIII. v. 28, pronuntiare videtur: attamen Paulini dicti sententia a Stoica prorsus abhorret. Neque enim virtus *αὐτάρκης*, ex hominis, qualis est in statu depravationis, arbitrio naturali generata contra vim rerum adversarum et calamitatum fato excitatarum pugnare neque cum ferrea necessitate *rationali*, quae totum mundum gubernat et penetrat, consentire (cf. Zeller, Die Philosophie der Griechen III. 1. pag. 21, 127.) dicitur apud Paulum, sed *ἀγάπη*, specifica matrix virtutum Christianarum, ejusdem Dei, [2]) qui tentare dignatur fideles, ut per experimenta probatos confirmet, gratiâ et fide enata cum eodem unita esse. Doctrina Clementina Paulinae non

---

μήτε πρὸς ἀρετην ὑπὸ τῆς ὑγιείας, ἀλλ' ἀμφότερα ταῦτα λέγουσιν ἀδιάφορα εἶναι· καίτοι καὶ Ἰὼβ ἐγκρατείας ὑπερβολῇ καὶ πίστεως ὑπεροχῇ πένης μὲν ἐκ πλουσίου, ἄτιμος δὲ ἐξ ἐνδόξου, αἰσχρὸς δὲ ἐκ καλοῦ — —, διδάσκων εὖ μάλα τοῖς περιστατικοῖς ἅπασιν οἷόν τε εἶναι καλῶς χρῆσθαι τὸν γνωστικόν. cf. Senec. Epist. 71. § 5. Haec si persuaseris tibi et virtutem adamaveris, (amare enim parum est) quidquid illa contigerit, id tibi, qualecunque aliis videbitur, faustum felixque erit: et torqueri, si modo jacueris ipso torquente securior, et aegrotare, si non maledixeris fortunae, si non cesseris morbo. Omnia denique, quae ceteris videntur mala et mansuescent et in bonum abibunt, si super illa eminueris. § 6. Hoc liqueat, nihil esse bonum, nisi honestum, et omnia incommoda suo jure bona vocabuntur, quae modo virtus honestaverit.

2) cf. Strom. VI. c. IX. § 76; § 77: *οὐ γὰρ πρέπον ἔτι τὸν φίλον τοῦ θεοῦ, ὃν προώρισεν ὁ θεὸς πρὸ καταβολῆς κόσμου εἰς τὴν ἄκραν ἐγκαταλεγῆναι υἱοθεσίαν, ἡδοναῖς καὶ φόβοις περιπίπτειν καὶ περὶ τὴν καταστολὴν ἀπασχολεῖσθαι τῶν παθῶν· τολμήσας γὰρ φήσαιμι ἂν, καθάπερ προορισμένως κεῖται δι' ὧν πράξει καὶ ὧν τεύξεται, οὕτως καὶ αὐτὸς προορίσας ἔχει δι' ὃν ἔγνω, ὃν ἠγάπησεν, οὐκ ἔχων δυστεκμάρτητον τὸ μέλλον. — — ὁ δὲ τὴν ἐν οἷς ἐστι κατάστασιν βεβαίαν τῶν μελλόντων κατάληψιν εἰδὼς δι' ἀγάπης προσαπαντᾷ τῷ μέλλοντι.*

prorsus quidem consentanea est; sed quominus pro mere Stoica eam habeamus, impedimur iis, quae apud eum leguntur de amoris devotione (Strom. VI. c. IX. § 73. § 75.) et de Dei ejusdem, cum quo fidelis unitur, mundi gubernatione et ceteris placitis accurate investigatis. Attamen negari non potest, etiamsi excipiamus ea, de quibus modo commemoravimus, ad sententias Stoicorum proprias doctrinam Clementinam de τῇ ἀπαθείᾳ esse accommodatiorem, quam ferat veritas Christiana sincera. Est igitur, quod investigemus, quibus causis theologus Alexandrinus motus sit, ut ad ejus philosophiae scholam sententias ipsius morales aptavisse videatur: cujus rei explicandae proximo capite experimentum faciamus.

Cap. III.

DE SENTENTIARUM MORALIUM CLEMENTIS REPUGNANTIAE ORIGINE ET INDOLE UNIVERSA.

§ 9.

Clementis Alexandrini doctrinam, cujus capitum duorum particulas elegimus, sententiarum et gravitate et subtilitate excellere, nemo est, qui neget. Sed quo clarius *singulorum* argumentorum et illorum, quae fecit, judiciorum excellentia perspicitur, eo difficiliores intellectu eorum cohaerentia et nexus esse videntur iis, qui systema Clementinum ethicum ab iis repetere et condere cupiunt. Quibus quidem cum iis, qui dogmatum ejus consensum constituere conantur, difficultas communis solvenda est. Neque enim ullus veterum scriptorum ecclesiasticorum inveniatur, qui tam

mutabilis et varius fuerit et de iisdem rebus sententias tam discrepantes tulerit, quam Clemens Alexandrinus. Etenim qua erat ingenii mobilitate et studii in indagandis rebus singulis indefessi alacritate et in discendo agilitate, quid senserit diversis temporis momentis, seorsim et singulatim profiteri, minime autem sententiarum distinctarum semper memor, doctrinam universam sibique congruentem instituere solitus est. Itaque *dogmatum* Clementinorum convenientiam omnibus numeris absolutam, qui quaerendam esse arbitrentur, eos operam frustra consumere equidem crediderim. Nihilo tamen minus ejusdem scriptoris opinionum discrepantia, quae reperiri videtur, quoniam nullis concedenda est nisi iis, qui ei amovendae plurimum operae dederunt, et iisdem, si tolli eam non posse intellexerunt, ejus rei causae explorandae sunt: ea explorandi ratio nobis sententias morales investigantibus tentanda est. Eae autem causae et ab scriptoris mutabilitate sola et ab earum, quae contra errores diversos ineundae erant, pugnarum respectu et ab ea, qua ipse versatus est, condicionis difficultate repeti possunt. Quorum difficultatum solvendarum tentaminum id, quod ultimo loco commemoravi, eo lubentius eligendum est, quo manifestius est (cf. *Rothe:* Theologische Ethik Tom. III. § 823.) ad *varietatem regni divini formarum, quae progressu temporis mutentur,* aptanda esse praecepta doctrinae *ethicae.* Neque enim omnibus temporibus Christianis idem, sed diversis diversa proposita sunt. Clementis igitur theologia moralis recte dijudicari nequit, nisi ejus, quo religio Christiana versata est eo tempore, quo scripsit, status ratione habita.

Clemens sagacissime quidem intellexit, *τὸ ἦθος* religionis Christianae cerni in sanctificandis *agendo* (Strom. VI. c. XVII. § 151. *ἐπεὶ τοίνυν δύο εἰσὶν ἰδέαι τῆς ἀληθείας τά τε ὀνόματα, καὶ τὰ πράγματα οἱ μὲν τὰ ὀνόματα λέγουσιν, οἱ περὶ τὰ κάλλη τῶν*

λόγων διατρίβοντες οἱ παρ' Ἕλλησι φιλόσοφοι, τὰ πράγματα δὲ παρ' ἡμῖν ἐστὶ τοῖς βαρβάροις) omnibus vitae rationibus; neque fugiendas esse res terrestres, quasi sint impedimenta virtutis exercendae; sed in iis, quae ejusdem Dei, qui *τῆς ἠθικῆς* vitae leges condidit, creaturae sunt, administrandis et formandis *τοῦ χριστιανοῦ ἤθους* vim et efficaciam exprimendam. Itaque maxima animi subtilitate contra Gnosticos materiam suapte natura peccati esse expertem ostendit [1]) et earum argumentationum, quae ex errore de materiae origine enasci solebant, nervos infregit. Quo errore, qui funditus tollendus erat, quum qua ex parte infecta mansit Ecclesiae Catholicae vetus, [2]) quae haereticorum commentorum quasi reliquias retinuit in sententiis de ratione, quae inter animam et corpus (materiam) intercedat, ferendis: Clemens in refellendis istorum placitis etiam Catholicorum eos, qui *τῇ*

1) cf. Stromat. librum tertium integrum. ib. IV. cap. IV. § 17. *λέγομεν δὲ καὶ ἡμεῖς τοὺς ἐπιπηδήσαντες τῷ θανάτῳ, εἰσὶ γάρ τινες οὐχ ἡμέτεροι μόνον τοῦ ὀνόματος κοινωνοί, οἳ δὴ αὐτοὺς παραδιδόντες σπεοδουσι τῇ πρὸς τὸν δημιουργὸν ἀπεχθείᾳ οἱ ἄθλιοι θανατοῦντες· τούτους ἐξάγειν ἑαυτοὺς ἀμαρτύρως λέγομεν κἂν δημοσίᾳ κολάζονται· οὐ γὰρ τὸν χαρακτῆρα σώζουσι τοῦ μαρτυρίου τοῦ πιστοῦ τὸν ὄντως θεὸν μὴ γνωρίσαντες, θανάτῳ δὲ ἑαυτοὺς ἐπιδιδόασι κενῷ, καθάπερ καὶ οἱ τῶν Ἰνδῶν γυμνοσοφισταὶ ματαίῳ πυρί· ἐπεὶ δ' οἱ ψευδώνυμοι οὗτοι τὸ σῶμα διαβάλλουσι, μαθέτωσαν ὅτι καὶ ἡ τοῦ σώματος εὐαρμοστία συμβάλλεται τῇ διανοίᾳ πρὸς εὐφυΐαν.* Strom. VII. c. XI. § 62. *χρώμενος τοίνυν τοῖς κτιστοῖς ὅποταν ἐρεῖ ὁ λόγος, εἰς ὅσον ἐρεῖ, κατὰ τὴν ἐπὶ τὸν κτίσαντα εὐχαριστίαν καὶ τῆς ἀπολαύσεως κύριος καθίσταται· οὐ μνησικακεῖ ποτὲ οὐ χαλεπαίνει, οὐδενὶ κἂν μίσους ἄξιος τυγχάνῃ ἐφ' οἷς διαπράττεται. σέβει γὰρ τὸν ποιητήν.*

2) Hundeshagen: Der Communismus und die ascetische Socialreform im Laufe der christlichen Jahrhunderte. Theologische Studien und Kritiken. 1845. Tom. II. p. 586.

ἀσκήσει nimis multum tribuere coeperant, vituperare et emendare voluisse mihi visus est. Qua de causa non abstinendum esse a rebus *φυσικαῖς*, sed ita iis utendum, ut imperemus, sapientissime docet. (Paedag. II. c. I. § 9.) Quae sapientia perspicitur praecipue in iis, quae disseruit de matrimonii dignitate [3]) contra eos, qui virginitatem anteponendam esse censerent neque intelligerent eâ institutione, qua dissoluta omnis vita humana dissolvitur, sanctificanda et reformanda *τὰ χριστιανὰ ἤθη* propagari et mundi perfectionem effici. Neque minus sagax est, consiliis, quae appellari consueverunt, evangelicis rejectis, [4]) in possessione bonorum terrestrium recte aestimanda et dijudicanda in praestantissimo illo libello, qui inscribitur Quis Dives salvetur, enarrationem evangelicam colloquii cum adolescente divitiarum opibus ornato a Servatore habiti *ἠθικῶς* illustrante. Non facile quis inveniatur ecclesiae catholicae pater, qui de eo scripturae sacrae loco (ex quo cogi et effici plurimi censuerunt eam, quam revera Dominus ab illo juvene postulaverat, bonorum terrestrium renuntiationem ab iis, quicunque vitam perfectam agere et eâ agendâ aeternam salutem nancisci cupiant, postulandam) tam sanum, quam Clemens Alexandrinus judicium elocutus sit: neque enim abdicandum esse

---

3) Strom. II. c. XXIII. § 140. *Γαμητέον οὖν πάντως καὶ τῆς πατρίδος ἕνεκα καὶ τῆς τοῦ κόσμου, τὸ ὅσον ὑφ' ἡμῖν, συντελειώσεως.* At contra Strom. VII. c. XII. § 70. — *διὸ καὶ ἐσθίει καὶ γαμεῖ (ὁ γνωστικὸς) οὐ προηγουμένως, ἀλλ' ἀναγκαίως.*

4) Cf. Stromat. IV. c. XVII. § 112. — *προδήλων οὖν ὄντων ἡμῖν τούτων καὶ ἐκκεκυφότες εἰς τὰ βάθη τῆς θείας γνώσεως πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν κατα καιροὺς τεταγμένους.* Cf. sententia praeclara de jejuniis lata. Strom. VI. c. XII. § 102. VII. c. XII. § 76.

docet illorum usu [5]) ei, qui vitae aeternae haeres fieri velit, sed sanandas et comprimendas cupiditates, exstinguenda studia desideriorum, quae externorum bonorum fruitione *satientur*. Homo igitur Christianus secundum doctrinam Clementis id agit, ne possideatur divitiis et opibus, sed possideat eas et a servitutis vinculis, in quae conjecti esse videntur ii, qui in jucunditate percipienda, quae sensus moveat, summum bonum collocent, in libertatem vindicatus, administret et iis administrandis regni divini incrementa augeat. Tantum igitur abfuit, ut scriptor, de quo disserimus, opiniones eorum Christianorum, qui e mundo avocandam et sejungendam ab hominum coetu et communione vitam Christianam arbitrarentur, omnino approbaret, ut, si spectas *unum sententiarum delectum,* nullam virtutem perfectam esse putaret, nisi eam, quae in actionibus esset conspicua, [6]) quibus vitae hominum emendatio expeteretur. Non contemplandum, sed agendum esse viro

---

5) Quis dives salvet § 11. *πώλησον τὰ ὑπάρχοντά σου· τὶ δὲ τοῦτο ἐστίν; οὐχ ἃ προχείρως δέχονταί τινες, τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν ἀποῤῥίψαι προστάσσει καὶ ἀποστῆναι ἀπὸ τῶν χρημάτων, ἀλλὰ τὰ δόγματα περὶ χρημάτων ἐξορίσαι τῆς ψυχῆς, τὴν περὶ αὐτὰ πτοίαν και νόσον, τὰς μερίμνας, τὰς ἀκάνθας τοῦ βίου, αἳ τὸ σπέρμα τῆς ζωῆς συμπνίγουσιν.* Cf. § 12. 14. 18. Padag. II. c. III.; III. c. VI. Strom. IV. c. VI. § 29.

6) Strom. IV. c. XVII. § 112. *ὁ σόφος τοίνυν ἐνδεικνύσθω τὴν σοφίαν αὐτοῦ μὴ λόγοις μόνον, ἀλλ' ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς· ὁ ταπεινόφρων μαρτυρείτω μὴ ἑαυτῷ, ἀλλ' ἐν τῷ ὑφ' ἑτέρου αὐτὸν μαρτυρεῖσθαι· ὁ ἁγνὸς τῇ σαρκὶ μὴ ἀλαζονευέσθω, γινώσκων ὅτι ἑτερός ἐστιν ὁ ἐπιχορηγῶν αὐτῷ τὴν ἐγκράτειαν κ. τ. λ.* Paedag. II. cap. I. § 15. *ἄμεινον δὲ πολλῷ τοῦ δαίμονα ἔχειν σύνοικον εὐδαίμονα γενέσθαι· εὐδαιμονία δὲ ἐν χρήσει ἀρετῆς ἐξετάζεται.* Cf. Aristotel. Ethic. Nicomach. X. cap. VII. *εἰ δ' ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία κατ' ἀρετὴν ἐνέργεια κ. τ. λ.* Sed eam *ἐνέργειαν θεωρητικὴν* esse, mox demonstrat.

γνωστικῷ, (qui ideam Dei et boni eandem esse perspexit, Strom. I. c. XVIII. § 90.); non in *θεωρίας* limitibus vitae honestae dignitatem retinendam et coarctandam, sed actione manifestandam; non omnes voluptates aeque contemnendas, sed in iis ipsis eligendis (Strom. IV. c. V. § 22.) et electis sanctimoniam servandam; non fugiendum denique, sed vincendum mundum esse ipsius vitae ratione, quam homo Christianus in eo degat, non solum *ἀποχῇ τῶν κακῶν*, sed etiam *τῇ εὐποιΐᾳ* [7]): ea summa doctrinae Clementinae esse videtur. Ac profecto gravissimis illis locis, quibus Christiani admonentur, ut virtute Christiana in mundo ipso ostendenda neque tamen vitianda regnum divinum amplificent, Clementis theologiae moralis sublimitas et excelsitas vel maxime splendet. At iis obstat *alter nexus* sententiarum, quibus virtutis usu, in actione apparente, extenuato, *θεωρίας* summa laus celebretur et *abstinentiae* multa genera commendentur. Etenim Clementem, etsi recte intellexit Religionis Christianae indolem ethicam conspicuam esse in fermentandis vitae rationibus et a peccati sordibus purgandis;

---

7) Strom. VI. c. XVIII. § 164: — *τότε ἀκούσονται τῆς γραφῆς· „ἐὰν μὴ πλεονάσῃ ὑμῶν ἡ δικαιοσύνη πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων“ τῶν κατὰ ἀποχὴν κακῶν δικαιουμένων* [*σὺν τῷ*] *μετὰ τῆς ἐν τούτοις τελειώσεως καὶ τῷ „τὸν πλησίον ἀγαπᾶν“ καὶ εὐεργετεῖν δύνασθαι, οὐκ ἔσεσθε βασιλικοί.* Ib. VI. c. VII. § 60. — *ὁ δὲ ἐν τῷ σώματι καθαρισμὸς τῆς ψυχῆς πρώτης πρῶτος, οὗτος ἐστιν, ἡ ἀποχὴ τῶν κακῶν, ἣν τινες τελείωσιν ἡγοῦνται, καὶ ἔστιν ἁπλῶς τοῦ κοινοῦ πιστοῦ — ἡ τελείωσις αὕτη, τοῦ δὲ γνωστικοῦ μετὰ τὴν ἄλλοις νομιζομένην τελείωσιν ἡ δικαιοσύνη εἰς ἐνέργειαν εὐποιΐας προβαίνει καὶ ὅτῳ δὴ ἡ ἐπίτασις τῆς δικαιοσύνης εἰς ἀγαθοποιΐαν ἐπιδέδωκεν, τούτῳ ἡ τελείωσις ἐν ἀμεταβόλῳ ἕξει εὐποιΐας καθ’ ὁμοίωσιν τοῦ θεοῦ διαμένει κ. τ. λ.* Ib. IV. c. VI. § 29. — *οὐκ ἀποχῇ κακῶν μόνον δικαιωθεὶς, πρὸς δὲ καὶ τῇ κυριακῇ τελειωθεὶς εὐποιΐᾳ.* Ib. VII. c. XII. § 71.

non eximendam esse communionibus et familiae et reipublicae et aliis humanae conjunctionis societatibus vitam Christianam, sed cum eis communicandam, tamen non fugit, quanta pericula ei imminerent, qui, temeritate quadam deceptus, in eas, quae tum exstabant, vitae societates ab earum sociis sine mora se assumi pateretur. Erant enim, qui fidem Christianam amplectebantur, principaliter e mundo, id est e familiae et civitatis communione *corrupta*, aut Judaica aut pagana, vocati et in ecclesiae *societatem* congregati. Fieri igitur non potuit, ut, qui liberati erant ab errorum et morum corruptorum inquinamentis et fide renati, illarum congregationum ethicarum, quae et apud Judaeos et apud Gentiles vel maxime depravatae erant, *ipsarum religionum superstitionibus conformatae,* tales permanerent socii, quales ante conversionem fuerant. Emendata enim religione emendandi erant mores; vel potius religioni renovatae congruentes reddendi *singulis illis:* id quod fieri non posse videbatur, nisi a publicis institutis et reipublicae communione, in quibus vita inficeretur vitiis paganismo propriis, segregarentur et sejungerentur. Revera Religio Christiana genus humanum fermentasse non erat dicenda antequam universae illae communiones essent recreatae; recreari autem et renovari non potuerunt, nisi omnes, qui vitam communem in civitatibus degebant, aut eorum plurimi renati et moribus emendati erant. Imperium igitur Romanum, quod religionis a patribus traditae fundamento nitebatur, verisimillimum erat futurum esse, ut labefactaretur vel potius renovaretur eo celerius, quo plures adducerentur, ut ab ea religione disciscerent et Christianis sacris initiarentur. Sed quoniam imperii instituta communia, paganismi moribus consentanea, consuetudine et antiquitate firmata erant; contra ii, qui ad Religionem Christianam convertendi erant et conversi, et pauci invenirentur et singuli: illa renovatio tentanda et tentata

non uno temporis momento, sed procedente tempore paullatim perfici potuit. Cavendum enim erat a contagione morum corruptorum, qui tum vigebant in societatis humanae gradibus et caveri non posse videbatur, nisi vita Christiana, quae sanctificanda erat, ab illorum communione secernebatur. Attamen hoc secernendi studium et illa renovandi cupido sibi invicem repugnare videntur: neque enim ea cupido expleri potest, nisi operibus ad communionem *reformandam* ipsam aptis edendis.

De quibus rebus meditanti Clementi ea repugnantia tollenda esse videbatur *sententiarum* suarum altero nexu cum altero reconciliando. Vitae enim honestae et praestantiam exercendam et declarandam esse ipso agendo, docere quidem perrexit; sed, quum idem nihil haberet antiquius, nisi ut effugeretur pravitas vitiorum paganorum, prae ceteris inprimis monendum esse censuit, ut homo Christianus animo a corpore sejuncto hac sanctificationis ipsius vita interna, actionis experte, *θεωρίας autem gaudiis plena frueretur, agendo* autem potissimum *arceretur* vitium, ne vitae sanctimonia pollueretur. Idem igitur Clemens, quem virtuti in agendo exercendae (neque autem actio in cogitatione effingi potest, quae non in corpore sit conspicua) multum tribuisse ostendimus, nihilo tamen minus inducitur, ut internum animi habitum *τοῦ ἤθους* non solum radicem, sed sedem ipsam esse censeat [8]) et *τὴν γνωστικὴν ἕξιν,*

8) Strom. VI. cap. IX. § 72. — *νοερὸς γὰρ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, καθ' ὃν ὁ τοῦ νοῦ εἰκονισμὸς ὁράσει* (?) *μόνῳ τῷ ἀνθρώπῳ, ᾗ καὶ θεοειδὴς καὶ θεοείκελος ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ κατὰ ψυχὴν, ὅ τε αὖ θεὸς ἀνθρωποειδής· τὸ γὰρ εἶδος ἑκάστου ὁ νοῦς, ᾧ χαρακτηριζόμεθα.* Ib. VII. c. XI. § 64. *τοῦτο τὸ κάλλος τῆς ψυχῆς νεὼς γίνεται τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὅταν διάθεσιν ὁμολογουμένην τῷ εὐαγγελίῳ κατὰ πάντα κτήσηται τὸν βίον.* cf. Strom. IV. c. VI. § 40.

in qua *τῆς θεωρίας ratio praevaleat,* vel maxime expetendam. Gnosticus enim corpus, quo non adjuvante actio esse non potest, in terra quidem versari patitur, sed, *affectibus mortificatis,* ut iis, quae necessaria sunt ad vitam sustentandam, utatur, permittit; (Strom. VI. c. IX. § 75: — *οὐκ σύγχρηται τῷ σώματι, μόνον δὲ αὐτῷ ἐπιτρέπει χρῆσθαι τοῖς ἀναγκαίοις, ἵνα μὴ τὴν αἰτίαν τῆς διαλύσεως παράσχῃ*) nihilo tamen minus, ne violetur et contaminetur morum corruptorum contagione, quae hac in terra propagatur et societatum gentilium communitatibus continetur, ad accuratissimas illas regulas, quarum causas supra cognoscere non potuimus, de minimis illis rebus (*quae revera sensu Stoicorum non sunt indifferentes secundum Clementem*) velut de potu, de risu id adstringere conatur. Quibus abstinentia generibus a vita communi se ipsum prohibet et arcet quidem, sed hoc ipso *arcendo* rationes vitae communis et condiciones emendare et reformare *incipit.* Etenim communio universa quum non possit immutari nisi usibus plurimis immutatis et moribus hominum *singulorum* ipsis renovatis: illis abstinentiae operibus edendis vitae *communis* renovandae et emendandae initium fit. Gnostico autem Christiano ea castigatio, in qua virtus cernitur, nihil aliud est, *nisi condicio, sine qua ille habitus animi internus constitui non potest.* Is habitus expeti non posset, nisi omnia, quibus gnostici animi tranquillitas et vita sedata turbarentur, prohiberentur et animae et corporis affectiones quominus irritarent et moverent, impediretur. [9]) Impeditur autem revera *τοῖς πάθεσι* per Christum [10]) evellendis et mortificandis: quo facto gnostici *ἡ ἀπάθεια* propria fit, *in*

---

9) Strom. VII. c. XI. § 64.

10) Quis dives salvetur. p. 29.

qua describenda ad normam disciplinae Stoicae cur sententias suas *accommodavisse videatur* Clemens, *jam intelligimus.* (cf. § 8 extr.) Qua *ἀπαθείᾳ* gnosticus tuetur vitam gnosticam animi, corporis castigati et castigandi sanctimoniae fundamento nitentem, [9]) animi autem limitibus *praecipue* comprehensam, omni excitandi et irritandi materia remota, ab ipsa illa titillatione, quam res externae commovere possint. Quae res externae tantum abest, ut fugiantur, ut abstinentiae virtute excolenda et exercenda, i. e. actione *negativa* renovandae sint; attamen *ea* renovandi actio non est *τέλος τοῦ βίου* [11]), sed id continetur *θεωρίᾳ, rebus divi-*

11) Cf. sententia Aristotelis loco notissimo lata, in libr. Ethic. Nicomach. X. c. VII.—*κρατίστη τε γὰρ αὕτη (ἡ θεωρητικὴ) ἐνέργεια· καὶ γὰρ ὁ νοῦς τῶν ἐν ἡμῖν καὶ τῶν γνωστῶν, περὶ ἃ ὁ νοῦς, ἔτι δὲ συνεχεστάτη. θεωρεῖν τε γὰρ δυνάμεθα συνεχῶς μᾶλλον ἢ πράττειν ὁτιοῦν. Οἰόμεθα δὲ δεῖν ἡδονὴν παραμεμίχθαι τῇ εὐδαιμονίᾳ· ἡδίστη δὲ τῶν κατ' ἀρετὴν ἐνεργειῶν ἡ κατὰ τὴν σοφίαν ὁμολογουμένως ἐστί· δοκεῖ γοῦν ἡ σοφία θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαριότητι καὶ τῷ βεβαίῳ. —Ἥτε λεγομένη αὐτάρκεια περὶ τὴν θεωρητικὴν μάλιστ' ἂν εἴη· τῶν μὲν γὰρ πρὸς τὸ ζῆν ἀναγκαίων καὶ σοφὸς καὶ ὁ δίκαιος καὶ οἱ λοιποὶ δέονται — ὁ δὲ σοφὸς καὶ καθ' αὑτὸν ὢν δύναται θεωρεῖν καὶ ὅσῳ ἂν σοφὸς ᾖ, μᾶλλον· βελτίον ἴσως, συνεργοὺς ἔχων· ἀλλ' ὅμως αὐταρκέστατος. Δόξειε δ' ἂν αὐτὴ μόνη, δι' αὐτὴν ἀγαπᾶσθαι· οὐδὲν γὰρ ἀπ' αὐτῆς γίνεται παρὰ τὸ θεωρῆσαι. — Δοκεῖ δὲ ἡ εὐδαιμονία ἐν τῇ σχολῇ εἶναι· ἀσχολούμεθα γὰρ ἵνα σχολάζωμεν· καὶ πολεμοῦμεν ἵνα εἰρήνην ἄγωμεν· κ. τ. λ. Εἰ δὴ τῶν μὲν κατὰ τὰς ἀρετὰς πράξεων αἱ πολιτικαὶ καὶ πολεμικαὶ κάλλει καὶ μεγέθει προέχουσιν· αὗται δὲ ἄσχολοι καὶ τέλους τινὸς ἐφίενται, καὶ οὐ δι' αὑτὰς αἱρεταί· ἡ δὲ τοῦ νοῦ ἐνέργεια σπουδῇ τε διαφέρειν δοκεῖ, θεωρητικὴ οὖσα καὶ παρ αὑτὴν οὐδενὸς ἐφίεσθαι τέλους, ἔχειν τε ἡδονὴν οἰκείαν· αὕτη δὲ συναύξει τὴν ἐνέργειαν· καὶ τὸ αὔταρκες δὲ καὶ σχολαστικὸν καὶ ἄτρυτον ὡς ἀνθρώπινον καὶ ὅσα ἄλλα τῷ μακαρίῳ ἀπονέμεται, κατὰ ταύτην τὴν ἐνέργείαν φαίνεται ὄντα· ἡ τελεία δὴ εὐδαιμονία αὕτη ἂν εἴη ἀνθρώπου λαβοῦσα μῆκος βίου τέλειον· οὐδὲν γὰρ ἀτελές ἐστι τῶν τῆς εὐδαιμονίας.*

nis non tam perspiciendis et cognoscendis, quam perspectis et cognitis satianda. Summum enim fastigium τῆς θεωρητικῆς ζητήσεως illa ἀνάπαυσις est, [12]) qua expetita ἡ γνῶσις non finitur, sed sui ipsius muneris administrandi initium facit. Etenim ea ἀνάπαυσις terminos τῆς γνώσεως non excedit, sed iis ita continetur, ut ad eam ipsam pertinere dicenda sit.

Ὁ δὲ τοιοῦτος ἂν εἴη κρείττων βίος ἢ κατὰ ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτως βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει· ὅσῳ δὲ διαφέρει τοῦτο τοῦ συνθέτου, τοσούτῳ καὶ ἡ ἐνέργεια τῆς κατὰ τὴν ἄλλην ἀρετήν· εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον· χρὴ δὴ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν, ἄνθρωπον ὄντα οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητὸν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν. Clement. Alex. Strom. IV. c. XXII. § 138. VII. c. VII. § 48. extr. τῇ γνώσει οὖν πεπεισμένος καὶ ὡς ἔστιν ἕκαστον τῶν μελλόντων κέκτηται τοῦτο· τὸ γὰρ ἐνδεὲς καὶ ἐπιδεὲς πρὸς τὸ ἐπιβάλλον μετρεῖται· εἰ γοῦν σοφίαν κέκτηται καὶ θεῖον ἡ σοφία, ὁ ἀνενδεοῦς μετέχων ἀνενδεὴς εἴη ἄν. IV. c. XXIII. § 154. VI. c. VII. § 61. (Paedagog. I. c. VI. § 51.) cf. Strom. VI. c. XII. § 99. Strom. VII. c. XVI. § 102. leguntur quidem haec: τέλος γὰρ οἶμαι τοῦ γνωστικοῦ τό γε ἐνταῦθα διττὸν, ἐφ' ὧν μὲν ἡ θεωρία ἡ ἐπιστημονικὴ, ἐφ' ὧν δὲ ἡ πρᾶξις; sed duo τέλη quum esse non possint, utrum utri anteponendum sit, dubitari potest. Quae dubitatio tollitur a nobis, meditantibus de iis, quae scriptor aliis locis disseruit et de angustiis, quibus premitur, in curas contrarias distractus.

12) Stromat. VI. c. XV. § 121. ἔστιν δὲ ἡ μὲν ζήτησις ὁρμὴ ἐπὶ τὸ καταλαβεῖν διὰ τινῶν σημείων ἀνευρίσκουσα τὸ ὑποκείμενον, ἡ εὕρεσις δὲ πέρας καὶ ἀνάπαυσις ζητήσεως ἐν καταλήψει γενομένης, ὅπερ ἐστὶν ἡ γνῶσις· καὶ αὕτη κυρίως εὕρεσίς ἐστιν ἡ γνῶσις κατάληψις ζητήσεως ὑπάρχουσα· σημεῖον δ' εἶναί φασι τὸ προηγούμενον ἢ συνυπάρχον ἢ ἐπόμενον. Cf. ibidem VII. c. III. § 13.

§ 10.

Quae si recte disseruimus, Clementem Alexandrinum, in partes diversas quasi cursum dirigentem, diversas sententias de dignitate aut *τῆς θεωρίας* aut *τῆς πράξεως* dignitate praeferenda tulisse, neque mirum esse, neque nobis in mentem venire potest, eam omnem repugnantiam, cujus causae cognitae sint, *prorsus* tollere. *Contra,* quae de abstinentia et actione ad promovendum regnum divinum aptandis diversa tradidit, ea *ex parte* inter se reconcilianda esse videantur. Ea singularum sententiarum repugnantia, quae esse videtur, cernitur in abstinentiae et *τῆς εὐποιΐας* laude modo aeque celebranda, modo hac ipsa *εὐποιΐᾳ pluris* aestimanda [1]); in refutandis gnosticorum haereticorum commentis de materia per se mala prolatis et in doctrina exposita de corpore, deletis *πάθεσι,* ab animo secernendo. Gnostici Christiani corpus ab ipsius animo quasi alienum, [2]) immo mortuum esse dicitur: nihilo tamen minus

1) Strom. VI. c. XVIII. § 164; Stromat. VI. c. VII. § 60. 61. *ὁ δὲ ἐν τῷ σώματι καθαρισμὸς τῆς ψυχῆς πρώτης πρῶτος, οὗτός ἐστιν, ἡ ἀποχὴ τῶν κακῶν, ἣν τινες τελείωσιν ἡγοῦνται, καὶ ἔστιν ἁπλῶς τοῦ κοινοῦ πιστοῦ, Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος, ἡ τελείωσις αὕτη· τοῦ δὲ γνωστικοῦ μετὰ τὴν ἄλλοις νομιζομένην τελείωσιν ἡ δικαιοσύνη εἰς ἐνέργειαν εὐποιΐας προβαίνει, καὶ ὅτῳ δὴ ἡ ἐπίτασις τῆς δικαιοσύνης εἰς ἀγαθοποιΐαν ἐπιδέδωκεν, κ. τ. λ.*

2) Strom. IV. c. XXVI. § 167. *αὐτίκα ἡ τοῦ σοφοῦ τε καὶ γνωστικοῦ ψυχὴ οἷον ἐπιξενουμένη τῷ σώματι σεμνῶς αὐτῷ καὶ τιμητικῶς προςφέρεται οὐ προςπαθῶς ὅσον οὐδέπω ἐὰν ὁ καιρὸς τῆς ἀποδημίας καλῇ ἀπολείπουσα τὸ σκῆνος.* Ib. IV. c. XXII. § 139. *τούτῳ τέθνηκεν ἡ σάρξ.* Paedag. I. c. VI. § 51. *κατὰ τὰ αὐτὰ τῆς πίστεως ἡ κοινωνία ἡ πνευματικὴ πρὸς τὸν παθητὸν ἄνθρωπον τὰς σαρκικὰς ἐπιθυ-*

minutiosa illa praecepta (quorum gravitas, si finem spectas, ad quem referantur a Clemente, ad defendendam alterius sententiarum delectus veritatem inflammato, neganda non est) traduntur de ejus sanctimonia servanda: ex quibus corpus non mortuum esse, sed et sentire et ad animum eum, quo gubernatur, pertinere intelligitur. Praeterea ab eodem scriptore mandatur, ut res terrestres et civiles referantur et adhibeantur ad regnum divinum *promovendum*; et eorum usus ut in terminos angustos *coarctetur*, ne quis ullis, nisi iis, quae ad vitam sustinendam omnino necessaria esse videntur, fruatur. Ab eodem virtutis usus vel maxime requiritur in administrandis rebus publicis et gnostici hominis vita tamquam hospitis summis laudibus tollitur. *Modum ut imponant rebus*; [3]) arcendo renovent, abstinendo reforment a Clemente admonentur Christiani. Ea illius doctrinae moralis Clementinae, quae *ad vitam activam dirigendam spectat,* summa esse videtur, quâ eâdem sententiarum diversarum *consensus, quoad ejus fieri potest, restituitur* illis formulis ipsis adhibitis. Attamen manet ipsius vitae activae et τῆς θεωρίας aestimationis moralis diversitas: quae deleri non potest, nisi theologiae moralis Clementinae fundamento deleto.

μίας ἐξοῤῥοῦσα εἰς ἀϊδιότητα συστέλλει τὸν ἄνθρωπον, τοῖς θείοις ἀποθανατίζουσα.

3) Paedag. II. c. V. § 46. ἁπλῶς γὰρ, ὁπόσα φυσικὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ, ταῦτα οὐκ ἀναιρεῖν ἐξ αὐτῶν δεῖ, μᾶλλον δὲ μέτρον αὐτοῖς καὶ καιρὸν ἐπιτιθέναι πρέποντα.



CORRIGENDA.

P. 1 lin. 1. 2 sup. pro quis sit finis — quo sint omnia cet. est legendum quis esset finis — quo essent omnia

P. 3 Annot. 1. lin. 4 sup. pro ἀντεπιλήπτως legendum est ἀνεπιλήπτως

P. 3 lin. 3 sup. post bonum ponendum est num: A Clemente autem summum bonum num

P. 7 lin. 7 inf. ante vocabulum suppeditabitur ; ponendum est: sanctificatio; suppeditabitur

P. 8 lin. 1. 2. sup. pro aperuevit lege aperuerit.

Ibid. Annot. 9. lin. 2 sup. pro παντοκράτερος legendum est παντοκράτορος

P. 9 lin. 2 text. lat. infra pro esse genuina et vitam sanctimoniam lege: esset genuina, et vitae sanctimoniam

P. 10 lin. 8 text. lat. infra pro optine lege optione

P. 11 Annot. ad § 3 lin. 3 sup. pro ʿμῖν lege ἡμῖν

Ibid. in eadem annotatione lin. 9 (ab initio annotationis numer.) pro καὶ τῷ ὀντι παντοκράτωρ legas καὶ τῷ ὄντι παντοκράτωρ

P. 12 lin. 3 text. lat. inf. pro nationibus lege notionibus

P. 14 lin. 9 sup. eas difficultas lege ea difficultas

P. 15 lin. 7 sup. pro θεώρητικὴν lege θεωρητικὴν priore accentu acuto omisso.

Ibid. lin. 10. sup. pro cognotioni lege cognitioni

P. 18 lin. 16 sup. ante „ex systematis" omissum est quod.

P. 20 lin. 4 sup. pro Quae scientia quam nullius, lege: Quae scientia quum nullius.

P. 22 lin. 9 sup. pro induci videtur lege induci videatur.

P. 34 lin. 11 sup. pro „infecta mansit Catholicae Ecclesiae vetus" lege infecta manserit Ecclesia Catholica vetus.

P. 40 lin. 12 sup. pro Quibus abstinentia generibus lege: Quibus abstinentiae generibus.















